Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Lorenz Bodock

Laurenti Bodock Academ. Rostoch. Oratoris Svada Romana, Sivè Sermonum, Publice Ab Ipso Habitorum, Decas Prima

Rostochi[i]: Richelius, 1649

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730436616

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Fr. 275 p

F. l. 3264.
42 8. 10.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730436616/phys_0002
DFG

XXVI. XV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730436616/phys_0004
DFG

LAURENTI BODOCK
Academ. Roſtoch. Oratoris

SVADA ROMANA,
Sivè
SERMONUM
PUBLICE AB IPSO HABITORUM,
DECAS PRIMA.



Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Autem. Bibl. publ. Rostoch. 1653.

ROSTOCHI
Typis Johannis Richelii, Sen. Typogr.
Anno M. DC. XLIX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730436616/phys_0005
DFG

SYLLABUS SERMONUM.

I. De ineffabili Incarnationis JESU mysterio.

II. De Cœli ineffabilibus favoribus, qvibus humanum genus amarissima SALVATORIS Passio locupletavit.

III. Calumniæ imago, qvâ Principem pictorum Apellem æmulatus, ærumnas meas in Orbe Lutheranô expressi.

IV. Laudatio funebris Generosi ac Nobilissimi Viri DN. WILHELMI à Calcheim dicti LOHAUSEN, Illustrissimi, Reverendissimi Principis ac Domini DN. ADOLPHI FRIDERICI, Ducis Megapolitani &c. &c. &c. Consiliarii, & apud Rostochienses Præsidii militaris Moderatoris.

V. Eloqventiæ laudatio, cum in publicam ejus Professionem ab Illustrissimo, Reverendissimo, Celsissimo Principe ac Domino DN. ADOLPHO FRIDERICO, Duce Megapolitano, Principe, vetustæ Gentis Henetæ, Administratore & Comite Sverinensi, Rostochi & Stargardiæ Dynastâ, Domino Clementissimo, oblatam, ab Inclytis Academiæ Patribus introduceret.

VI. ser-

VI. *Sertum* Illustrisimo Infanti BERNHARDO SIGISMUNDO, Duci Megapolitano, Mense Januario A. 1641, nato, è viridi Oleâ, Lilio fragranti, Palmâq; gloriosâ contextum.

VII. Aliud *Sertum*, eidem Illustrisimo Infanti &c. &c. proh dolor! ante emersum ejusdem anni curriculum, mense nimirum Novembri, denato, ex *Amarantho* immarcesibili, Rosâque svaveolenti, breviter elaboratum.

VIII. Veri Philosophi, in summis infortuniis indoles, exhibita magno Consessui, cum p. t. Philosophicæ Facultatis Decanus, Novem Viros & Juvenes Eximios, in Phil. Doctores crearem.

IX. De causis sanè eximiis, ob qvas Infantulus JESUS, octo tantum dierum natus, in novi anni auspicio, cruorem roseum effundi voluerit.

X. De insignibus Stratagematibus & artificiis, qvibus SALVATOR noster, de capitalibus generis humani hostibus, stupendum Triumphum reportavit. Habitus, cum in solenni Phil. Doctorum creatione Procancellarii munere fungerer.

APPENDICIS LOCO
SERMO BREVISSIMUS

Habitus
Dum Vigore ſpecialis Mandati & plenipotentiæ
conceſſæ
ab
Amplisſimo Conſultisſimo Magnificoq;
Viro
DN: THEODORO REINKINGIO, JCTO,
COMITE PALATINO CÆSAREO,
Serenisſimæ Reg. Majeſtatis DANIÆ, item
Archi: & Epiſcopali Bremenſi & Ver-
denſi, nec non Hasſiaco reſpectivè
Conſiliario & Cancella-
rio,
Eximium Virum,
DN. STEPHANUM FUHRMANN,
Phil. & Art. M.
Laureâ Poeticâ redimirem.

VIRIS

Amplißimis, Prudentißimis, Conſultißimis

Inclutæ Reipublicæ

WISMARIENSIS

Patribus Conſcriptis

DNN. CONSULIBUS, CÆTERISQVE SENATORIBUS GRAVISSIMIS.

Fautoribus Honorandis.

NOn, tàm ex prolixi belli calamitate, qvàm in Veſtram Sapientiam ac Prudentiam (DEO ſic diſpenſante) tantum potuit, qvantùm adverſus Solem nebulæ poſſunt. Sed ex Veſtris eximiis Virtutibus, cum maximâ prudentiâ conjunctis Vos ſemper æſtimavi. Inter qvas cum non poſtremum locum obtineat, & literarum, & primarii ipſarum Decoris, Eloqventiæ videlicet amor. Hujus Decadem primam, Nomini Veſtro Ampliſſimo re-

reverenter consecro; non ut lucri alicujus aucupium (quô plerique permoti, cruda sua opera in lucem propellunt) ambiam: Verum ut hoc exiguô licet opusculo, magnam animi mei boni erga Vos tesseram, publicumq; cultus documentum Vobis Favitoribus meis, Academiæ nostræ vicinis intimioribus, & olim ejusdem membris selectissimis exhibeam. Quorum Respublica, tantô proh dolor! bello attrita, DEO auxiliante, brevi, pristino flori redonabitur, & ex præteritis ærumnis, futuræ laudis ac gloriæ capiet argumentum. Sic vovebam animitus Rostochii, d. 13. Junii A. D. 1649.

V. V. A. A.
observantissimus
Laurentius Bodock, J.U.Lic.
Acad. Rostoch. Orator.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730436616/phys_0010
DFG

DIgnum laude virum ſummo Mars mactat honore,
Forti qvi patrios corde tuetur agros.
Dignior at multò Clariis luctatus in arvis
Aurea qvem Pallas famâ & honore beat,
Hos inter, vir Clare, cluis, qvem gratia linguæ
Flumen & Ingenii, Doctaq́; ſcripta probant.
Macte hâc perge viâ, rectâ ſic itur ad aſtra,
Perpetuus ſcriptis ſponte ſeqvetur honos.

Nicolaus Schütze/
J. D. & Cod. in Univerſ.
Roſt. Profeſſ.

Maximus Orator pace, ut bello Induperator
Maximus eſt, gladio hic, voce ſed ille potens.
Hujus & in bello vũ ſaltem cernitur; ille
Inq́ acie, inq́ foro prælia promptus init.
Qvid, qvod & in cathedrũ regnat, ſuggeſtaq́ ſolus
Alta tenens verbi munere corda regit?
Comiter hortatur, ſolatur & erudit, acri
Mox ardens telo crimina fœda ferit.
Cuncta movet ſuadendo gubernatorũ ad inſtar,
Qvamcunq́ in partem voce fluente velit.

O donum Suadæ divino munere terris
Conceſſum! nihil hoc grandius orbe habet.
Exemplum præſto eſt: Romanam hanc cernito Suadam,
Qvam BODOCKERI *continet iſte liber,*
Invenies acrem, dulcem, cunctúq́ decoram
Dotibus, hanc ſectari hanc adamare juvat.
Sic erùm Orator, mellitùs omnia dictis
Fortiùs imperiis ad tua ſenſa trahes.

Joachimus Schnobelius,
J. U. D. & P. P.

Clarißimo Viro,
Dn. LAURENTIO von Bodeck/
Dn. Collegæ ac amico meo pl. honorando.

CEcropiæ paſſim Neleïa mella loqvelæ
Laudantur; Graja hæc fudit Svada ore rotundo.
Oris delitiæ Latii laudantur ubique,
Qvod large hæc totum dimanent mella per orbem,
Svada tibi Romana placet chariſſime amice,
Illi primitias offers & roſcida mella,
Si non pæſtano, noſtro Selecta Roſeto,
Primitiæ qvid non promittunt! ipſa ſeqvantur
Promiſſa, autorem laudabunt parte ab utrâque
Non opis, externæ non ullius indiga Laudis.

Joachimus Stockman Med. D. & P.
Patriæ Reip. Phyſicus.

Cum

Cum tua scripta vident lucem, Clarissime Bodock,
testatum reddunt qualis in arte fies,
qualis in arte fies, non hæc Schola Balthica tantum,
omnes testantur qui tua scripta legunt,
Perge juvare bonos, quibus hæc tua Svada probatur
sic nostro seclo Tullius alter eris.

Benevol. ergò f.
Albertus Willebrandt
U. J. D.

In Clarissimi Viri
DN. M. LAURENTII à BODOCK
Svadam Romanam Epigramma.

SVavia dona Dei sunt, nemo habet omnia solus,
Munere divino hic plus tenet, ille minus:
O BODOCK temet DEus & natura beavit,
Dotibus ingenii, dotibus eloquii;
Testis opus præsens, Romana & SVADA probabit,
Eloquii magnam vim quoque inesse tibi;
Sectaris Demosthenios dum rite labores
Sectaris studium & tu Ciceronis ovans,
Pergito LAURENTÎ toti innotescere mundo
Aureolis scriptis aureolisque libris:
Pergito LAURENTÎ Roseo inservire Lycæo,
Perpetuumque tibi conciliare decus:
Facundam exorna lingvam sermone, simulque
Tu varia mentem cognitione tuam:

Hinc honor, hinc ingens surget tibi gloria famæ
Arctoi quæ per culmina summa vehet;
Inter & eximios statuet Regesque Ducesque;
Scripta viri tantum & lingva diserta valent.

Conscriptum
à
JOHANNE ANDREÆ
Philos. & Med. D.

Viro Clarißimo
DN. M. LAURENTIO à BODOCK,
Professori in alma Rosarum Academia Oratoriæ publico, Amico suo honorando.

CLare Vir, Eloqvio mihi qvi, Ciceronis ab ore
Qvod fluxit, visus vincere posse tuo;
Cúr poscis nostram, te commendantia, Musam,
Carmina, vel lingvæ flumina tanta tuæ?
Qvì potero tenui depingere talia versu?
Cum non Eloqvio par mea Musa tuo?
Ergo petis frustra, te commendantia, Musam,
Metra; nec Elogiis heic opus esse reor;
Non opus est hederas vino suspendier isti,
Invenit Emptorem qvod bonitate citò:
Sic qvoq; cum plausus doctorum vestra virorum
Fulmina Sermonum promeruere satis;
Qvid juvat hæc ultrà tenui celebrare susurro,
Suppetias illis an mea Musa ferat?

Ah!

Ah! uti cæpisti Cathedram fulcire labantem,
Sic ductu pergas hanc stabilire tuo:
Te sic, ut nosti, decus immortale manebit,
Nec tuus in Domino sudor inanis erit.

Raptim inter occupationes

M. Johannes Stein P. N.

Floreat eloquii Polonâ stirpe cacumen,
Lux Phœbi, Svadæ vis, cynosura boni.
Floreſcas sermonis apex radixque virentis
Eloquii, elogii non ita finis erit.
Tu qui contendis Sophies ad templa serena
Clare Vir, eloquii nobile præsidium:
Eloquio Phœbi Rosei qui commoda quaris
Doctorum Bodock *lucida gemma Virûm.*
Gratulor atque tibi hanc operam Svadæ atque mereri
Præclarè pergas, commoda fata precor.

In honorem & benevolentiam Viro Eximio M. Laurentio à Bodock, Romanæ Eloq. in Schola Varniaca Professori indefesso, hoc ipsum apposuit

M. Matthias vom Lohe.

Qvàm periit nitor & Romanæ gratia Lingvæ!
Svada vetus prisci qvâ dedit ore loqvi.

Gens

Gens plebeja nihil Latii, nihil arte Minervæ
Expedit, informes egerit ore sonos.
Sæpius infandas dat vappa papyria sordes,
Barbarus in pretiò qvas habet artis inops.
Extra Tarpejæ cedens penetralia Vestæ
Naviget Anticyras, talia qvisqvis amat.
Qvæ ROMANA foràs erumpit SVADA BODOCCI
Dulcius hyblæo melle figurat opus.
Deterit agrestes filiqvas à farre vetusto,
A rutilo scoriam segregat ære rudem.
Non opis est nostræ conamina dicere SVADÆ,
Altior humanis it labor elogiis.
Dicere Romanè, Romanè scribere si vis,
SVADA sit hæc Lingvæ sit Cynosura styli.

CL. Dn. M. BODOCK, Eloq. Prof. Eximio, fautori pl. suspiciendo, de recens natâ SVADA ROMANA *in incluta ad Varnũ Balticum Academia L. Mq. adgratulari voluit 8 Id. Qvint.*

M. Pancratius Amselius
P. Laur. Cæs.

In Decadem Romanæ Svadæ
Oratoris Excellentiss.
DN. M. LAURENTII à BODOCK.

Qvid hèic? Novus *nùm* Cicero?
Vel Alter *an* Demosthenes

Redit

Redit sub auras Luminis?
Pol, nostra jam nunc Rhodope...
Nil grande præter Pulpitis
Sonat; Typis nil imprimis
Quàm verba vim spirantia
Sublimioris Numinis.
Hoc unde? Scilicet Virum
Nobis dedit Poloniæ
Posnopolis, Posnopolis
Poloniæ dedit Virum,
Qui verba vim spirantia
Sublimioris Numinis
Per Rhodopæa Pulpita...,
Immò per omnes Angulos
Patentis orbis intonat.
ô quô beabo Carmine
Talem Virum? Queis laudibus
Ejus Labores optimos
Ad celsa tollam Sidera?
Vox me Loquentis abripit;
Scribentis occupat Stylus
Omnes Medullas sensuum.
Quin illa Prima, quam modò
Transmittit ad nostras manus
Selectiorum vel Decas
Vocum. refert Originis
Divinioris Indolem,
Et igneus quod pectore
Reconditus sit spiritus

Signis

Signis docet clarissimis,
Quisquis sagaci lumine
Perspexerit, fatebitur,
Et voce dicet candidâ:
O quàm vocata es congruè
ROMANA SVADA, *Nomine!*
Sed non mearum virium,
Licet vel omnes advocem
Musas, & Ipsum Apollinem,
Dignè sub astra Carmine
Tales Labores *tollere!*
Verbô loquar, quod pluribus
Efferre non datur Mihi:
Sis salvus, ô Mortalium
Sidus, decusque illustrium,
BODOCK, Lycæi *Gloria*
Rostochiensis *inclyta!*
Sis salvus, atque hujusmodi
Plures in auras ætheris
Svadas *voca! Sedebimus*
Nos inter illos, qui dabunt
Plausus secundos, & vehent
BODOCKIUM qvadrijugis
Ad Solis orbem curribus!

Inter Negocia properante *crenâ venâq;*
fundebat l. m.

STEPHANUS Fuhrmann/
Philosoph. Magist. Poët. Laur. Cæs.
& Eccleſiast. Lippiens. designatus.

Lege-

LEgerat Aonio Balthes *Bodockus* in horto
eloqvii è *denis* ſerta diſerta *Roſis*.
Vidit *Svada*, probat, defert Heliconis ad arcem:
En, ait, hæc nobis munera, *Phœbe*, ſacrat!
Accipit, & Genium miratus fatur *Apollo*,
Vivat Bodockus, Tullius alter erit!
Namq́; ait illa, animam reducem Ciceronis ab orco
viſcera *Bodocci* nunc animare puto.

Fautori ſuo pl. devenerando
ſcripſ.
M. Joachimus Crellius
Rugianus.

INgenii vires Romanaque Svada Bodocki
Cernitur hoc libro, poterunt hæc verba morari
Lectorem, fateor; ſed geſtus, actio voces
Hunc Oratorem ſolitæ decorare potentem,
Non potuere typis repræſentarier iſtis.
Sed quisquis totum cupiet ſpectare Bodockum,
Non tantùm legat hæc, verùm quoque cernat agentem;
Felices, inquam, quibus hic præſentibus orat,
Queis audire datum voces, & cernere geſtus,
Nullus non dulces Veneres *Spectator amabit,*
Barbariæ *licet hæc vix vix intelligat; atqui*

Mox

Mox aderit tempus, quo Vos extollere certet,
Clare Bodockiade, *literatus, honoribus, Orbis,*
Quo Vos, invidiâ *quamvis frendente,* Monarchæ
Ad meritas tandem laudes extollere certent.
Felix Roſtochium, *dum te præſente fruetur,*
Felices Reges, *tua qui* Reſponſa *ſequentur.*

Paucula hæc
appoſuit
ex ipſiſſimo pectoris penetrali
VIRO CLARISSIMO AC EXCELLENTISSIMO
DN. LAURENTIO à BODOCK Phil. Doctori,
Oratori Academiæ Roſtochienſis publico
ac Celeberrimo, Amico, Fautori perpe-
tim devenerando atq; amando.

Johannes Andreæ
Padelgarenſis
S. T. L.

SER-

Sermo I.

de ineffabili

Incarnationis Christi Mysterio.

Magnifice Dn. Rector, Reverendi admodum, Excellentissimi, Amplissimi, Clarissimi Viri. Tuq; Generosa, Nobilissimæ Juventutis Corona, ad laudem Ecclesiæ, Reipub: progenita.

Augustissimum temporis moderni mysterium, qvô Magni ille consilii Angelus Christus Jesus, ex splendidissimo Majestatis inaccessæ fastigio, ad nostræ mortalitatis vallẽ solis calamitatibus septam sese demisit, nemo tàm angustis humanæ mentis & eloqventiæ limitibus complecti potest. Si etenim apertissimæ perniciei, incolumitatem suam exponeret, & in spontaneum, qvasi cæcus, interitum rueret, qvi rapidissimum fluvium, extraq; ripas exeuntem, sive genoroso eqvo, sive validissimis manibus ac brachiis confisus, fastuoso ausu trajicere contenderet. Qvis jam incomprehensibile Incarnationis Jesu mysterium? Qvis profundissimum hunc

Oceanum, absq; manifestissimo vitæ naufragio tranare valebit? si in solo eqvo, nimirum intellectu; si in pedibus tantum ac manibus; in solis nempè caduci ingenii viribus, supercilioſas spes suas posuerit. *Abyssus inperscrutabilis est*, (mellifluus loqvitur Bernardus) *& in quô hauriam non est mihi, Alta profunditas, & quis inveniet eam?* In qvâ, scelestus ille CERINTUS suffocatus est, qvi captum tantum *mediocritatis mortalis* consulens, *parvuli* JESU, *hodie* incarnati, divinitatem denegare non erubuit. In qvâ. sævientibus undis impius ille MANES PERSA obrutus est, qvi ad frivolâ rationis sortem sese recipiens, parvulum JESUM, imaginarium tantum hominem, Spiritum in hantasticâ carne inclusum asseveravit. In qvâ deplorando sanè præcipitio, infelices illi interunt, qvi ad imbecillem, tam inæstimabilis arcani momentum ponderantes, parvulum huncce, meram non nisi creaturam esse, nihilque cum divinitate commercii habere, liberô ore affirmarunt. In qvâ deniq; perierunt & omnes alii, aut divinitatis aut humanitatis hujusce parvuli hostes, qvi videlicet ad extremam insaniem redacti, modico, proh dolor! sui intellectus vasculo Oceanum divinitatis includere, & infinitum Universitatis auctorem pugillo comprehendere attentarunt. Qvid igitur? illæsanè pietate fieri potest, ut tàm sublime Mysterium, adeò ipsum mortale

cacu-

tacumen transcendens, ut ne angelicæ etiam accessionis capax amplius esse judicetur; ut inqvam horrore taciturnitatis potius supprimatur, velôq; qvasi, adinstar sagacissimi Thimantis obumbretur, dum præcellentissimorum etiam Oratorum penicillo adæqvari non potest. Minimè verò. Citra improbitatis & ingratitudinis flagitium, è finibus etiam naturæ exterminandum, surdà, hodiernâ die, præteriri aure, silentiiq; involucris involui non debet. *Ex eô enim, quod ineffabilis est materia.* (inquit Leo X.) *fandi tribuit facultatẽ, nec potest deficere quod dicatur, dum non possit esse satis quid dicitur.* Utar itaq; jam in hoc Amplissimô & freqventissimô Cætu meliori industriâ, utar laudabiliori, supremi Auxiliatoris auspicio solertiâ, ut eô tutius & facilius præ aliis, tam immensum incarnationis Christi pelagus vadare valeam; ingrediar videlicet, cum intimâ pectoris submissione, fidei Cymbulam, & dum alii profunditatem tantæ rei, solicitè & cum periculo potius, qvam humiliter agnoscunt, dum ad libram rationis humanæ exigunt, qvod à ratione, Divina Providentia seqvestravit; ego magnitudinem ejus per totum moderni sermonis discursum STUPORE satius meritissimô, Gaudioq; æqvissimo prosequendam esse, qvam anxiâ & supervacaneâ subtilitate indagandam autumo. Sublevate jam OO. AA. SS. sermonis vela, benevolentiæ vestræ

favoniô, placidæque attentionis Zephyro ad faciliorem & feliciorem portum, propellite Oratorem sin minus disertum, at certè Omnium Vestrum amantissimum, qvem sola spes humanitatis Vestræ (quam hic confluxus indicat) adeò erexit, ut majorem conatum animo concipere auderet, qvam vel ætas, vel animi robur postularet.

Nunquam sanè, (*ne à longè petitis utar* verborum *blandimentis*) *aspexit* ætas anteceſſorum *nostrorum*, nunquam conseqventes anni intuebuntur, diem hodierno similem, diem tàm copiosam, tàm uberem ADMIRANDI & EXULTANDI materiam præbentem. Quam cum devotâ recordatione (GREGORIUS NAZIANZENUS) imposuisset intimis sensibus, in hæc prorupit, obstupefactus, verba. *Hujus solius diei clamabo veritatem & gratiam, in quô natura non habet, usus ignorat, ratio nescit, mens non concipit, eloqvium tacet, ingenium hebet, cœlum pavet, terra stupet, qvod* DEUS HOMO *factus est.* Nec immeritò profectò, Si etenim liquidiorem Spiritum è cœlo haurientes, accuratius insigne diei mysterium perpendemus, videbimus subitò, summum rerum moderatorem, excellentiori quodam pollice, in illud, tanquam in præstantissimum opus incubuisse, delicatissimis industriæ lenociniis, in hoc unicum luxuriasse, totamq; suam potentiam impendisse, ut esset, quod in sublimiori rerum

huma-

humanarum arce positum, omnes in admirationem raperet, cœterisq; stupendis operibus palmam præriperet. Excellentissimorum (ut video) pictorum in hoc opere vestigia pressit; ut enim illi in delicatissimis sui ingenii monumentis, hæc vel similia verba, in *Præterito imperfecto*. APELLES FACIEBAT. POLICLETUS FACIEBAT. apponere consueverant; certiorem quasi reddere oculum industriæ pictoris svavibus jam illecebris captum expetentes, eximia nempè illa simulacra, venustissimis licet lenociniis expolita, si non vitio, præstantiori saltem manus gloriæ succumbere posse. Sic supremum illud Majestatis Numen & Imperium, cum totam hanc rerum supellectilem, homini elocandam exornasset, cum vastissimæ huic terræ, instar elegantissimorum monilium maria, tot insularum quasi occellis & margaritis collucentia prætexeret, cum illi spirabilē naturam, illumq; summum, qui suo complexu cingit omnia, ætherem præberet, in quo ratis & per omnem æternitatem fixis legibus, voluuntur purissimi stellarum cætus. Quid aliud agebat? nisi imagines quasdam eximias divino suo penicillo elaboratas in publicum exponebat, adjunctis quoq; similibus, in IMPERFECTO duntaxat PRÆTERITO verbis, *DEUS FACIEBAT. ET ERANT VALDE BONA.* Significare volens Supremus omnium Procreator, mundum hunc universum,

ormatissimum quidem esse, tot rerum generibus distinctum, tot luminibus illustrem, tantâ varietate ad ejus imitationem, quem intrâ suos divinæ mentis thesauros, archetypum continebat, fabricatum; in illo nihilominus non adeò ingentem impendisse, nondum ultimam virium suarũ industriam declarasse, & eò sexcentos etiam perfectiores eondere, conditos vel tenuissimo haḷtu in uno oculi ictu diffiare posse. Quæ neminem vel minimâ dubitate discriminare possunt. Lux etenim hæc, si *Curtii* verbis uti vellem, *naturale solativm.* Si *Thaletũ* apud *Plutarchum* in conviv. *pulcherrimum opus*, unico tantum ejus verbulo in hoc Orbe comparuit: FIAT LUX, dixit, ET FACTA EST LUX. Cœlestium horum Orbium globi, fulgentissimæq; stellatæ machinæ faces, digitis tantũ confectæ. Nobilissimum animal cœlo destinatum, magnum mundi hujus miraculum, Universiq; Microcosmus, manibus solum est plasmatus. Omnia deniq; qvęcunq; suo ambitu ingens hæc mundi moles complectitur, modico vel nullo labore, exiguo negotio, nullâ difficultate, ab uberrimo illo omnium bonorum fonte suam traxerunt originem. Verum dum Naturam humanam, cujus solâ imagine per tot millia annorum, in illo stellato palatio, in illis æternitatis deliciis sese oblectabat; dum inqvam cœlestis veluti procus, amoris spiculis sauciatus assumpsit,

dum

dum illi eandē hypoſtaſim benigniſſimè tribuit, tamq; inſignibus muneribus exornavit, tunc jam non in Præterito Impereecto, Faciebat, ſed in Plusqvam Perfecto. Fecit Potentiam, in brachio ſuo. Fecit, qvia qvinq; millia annorum hic impendit. Fecit, qvia omnem providentiam hic depoſuit. Fecit, qvia infinitam prudentiam hic attrivit. Fecit, qvia univerſos cœleſtium gratiarum theſauros hic proſtituit. Fecit qvia divinam hic (ut ita loqvar) majeſtatem exhauſit; ut non, æviternis temporibus, meliorem, digniorem, præſtantiorem CHRISTUM JESUM, prō noſtrâ ſalute incarnatum producere, ne dicam, excogitare poſſit. Extollatur jam magnus ille terrarum luſtrator Hercules, qvi altiſſimas duas in limitibus Hiſpanicis columnas, cum hac inſcriptione, Non Plus Ultra poſuit. Sed ita tamen extollatur, ut cœleſtis Orbis Architecti dignitati & laudi incomparabiliter primariæ, humillimas faſces ſubmittat, qvi tam ſublimes in Mundo columnas hodiernâ luce, divinam nimirum humanamq; naturam in Christo Jesu erexit, ut jam, *Non plus ultra* infinitum robur divinū procedere. *Non plus ultra*, immenſa potentia progredi. Non Plus Ultra, inexhauſta bonitas conferre potuerit. Hic jam ceſſat Dei *ipſius ratio*, hic jam flacceſcit ille divinus æternusq; vigor. *O ſtupendum & inauditum antea in Orbe*

opus O profundissimam arcanorum Dei caliginem. O admirabilis mysterii majestatem; in cujus contemplatione Damascenus qvondam affixus, & ab hac tumultuariâ sensuum consuetudine paulisper abreptus, jure meritò exclamavit. Non est simile factum opus in universis terris, nihilq; est majus inter omnia & super omnia, quam qvod DEUS factus est HOMO. Totam jam in Dei Præpotentis Majestatem, & in hominis vilitatē, oculorum aciem conferamus, ut tremendum hoc, etiam Angelicis Spiritibus, Incarnationis JESU opus, profundiori stupore dignum esse fateamur. Qvid DEUS est aliud, qvam mens (ut cum pavore loqvar) ab omni mortali concretione secreta, optima, immortalis, perpetua, sapientissima, spiritus per omnia commeans, & singulis Universi partibus, quasi accuratissimæ lyræ fidibus intentus, qvi fluentium rerum canticum jucundissimâ varietate temperat, ingenitus, immortalis, perpetuus, solus, *ipse sibi locus & mundus* & maximus qvidem mundus, cui spirans omnis intelligensq; natura, & habere & agere non cessat gratias. Graditur ille insigni Majestate Cherubinis insidens, celeriq; ventorum turbine circumqvaq; rapitur. Sexcenta conseqvuntur curruum millia, in qvibus igneæ Angelorum cohortes, copiosâ luce circumfusæ radiant. Sol ad nomen ejus expavescit, adamantinæ cœli portæ contremiscunt,

miſcunt, intendunt ſeſe flammeæ nubes, & lucido qvodam horrore totum hoc aeris ſpacium circumveſtiunt, mugiunt tonitruum fragores, præmicant fulgura, volitant procellæ, ruunt fulmina, immixti grandini rutili carbones depluunt. Ecqvis hic non malit ſtupere potiùs qvam loqvi? Vos appello puriſſimi animarum cætus, qvi beatas illas ſedes, æternis ſyderibus illuminatas colitis, nonnè qvoties in hoc ſpeculum oculos defigitis, toties connivetis ſplendore lucis obruti, pennasq; ori prætenditis? ut radios veluti per nubem emiſſos excipiatis, qvos alitet ſuſtinere non poteſtis. Volumus nos autem ſcire, qvid homo ſit? imbecillum corpus & fragile, nudum, ſuapte naturâ inerme, alienæ opis indigum, ad omnem fortunæ contumeliam projectum, dicit *Seneca*. Expetimus adhuc noſſe qvid ſit homo? Imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ ludicrum, mutationis imago, invidiæ & calamitatis trutina, morbi pabulum, mortis victima, inqvit *Stagirita*. Exoptamus ne ad extremum, compertum habere qvid ſit ille? ſomnium umbræ reſpondet *Pindarus*. Ipſa calamitas ait *Herodotus*. Occaſio miſeriarum, loqvitur *Philemon*. Folium caducum narrat *Homerus*. Puriſſimum nihil, aſſerit cum *Sophocle Petronius*. Ah! quid tandem hodie ſupremi DEI propter, hunc vilem hominem, non præſtat benignitas?

ad qvid se hodie non resolvit? qvid propter illum non attentat hæc incircumscripta Majestas? qvã prius, nec Angeli intueri, nec Seraphim intelligere, nec Cherubim perveſtigare poterant. Hodie (ô tremendum totius Orbis spectaculum) potentissimus ac validissimus Samson cœlestis, DEUS nimirum tonditur & ligatur; tonditur dico non frustra; non enim perpulchri illi divinitatis crines (incomprehensibilia videlicet attributa) evulsi sunt, intus in capite radices manent, & ab æterno ab illo profluunt; Gestatur enim ut parvulus, sed adoratur ut DEus, parvulus in præsepi, sed immensus in cœlo, vilis in pannis, sed in stellis glorioſus, tenellus, Virgunculæ affusus pectori, tam molliter castissima appetit ubera, lacteumq; deguſtat nectar, Sed totius Universi possidet opes, ipsumq; munificè alit. Tam tenellæ manus Orbem rotant, tam parui ocelli Solem illuminant, tam exigui pedes tartara calcant. At qvis tandem hunc Samsonem noſtrum, toto qvondam mundo terribilem & formidabilem ligat? Amor solus & unicus, O.O. AA. SS. erga *Dalilam* naturam humanam ineffabilis; ligat amor, dum illum, ad cujus nomen Sol ipse, tanti tamq; stupendi Numinis umbra potius qvam effigies expaveſcit; dum inqvam debili corpusculo humano veſtitum, in agresti domunculâ, frigidæ tempeſtati, ventorumq; flatibus undiq; pervia

re-

reponit, lectulumq; in præsepi animalium sternit, demum in furciferorum patibulo straturus. Ligat amor, dum inexhaustum æternæ Sapientiæ Oceanum, parvulo, immaculatæ Virginis utero circumscribit, & demum exilibus humanitatis cancellis terminatum, in lucem emittit. Ligat amor, dum in eodem felicitatis vestigio ab æterno consistentem, in tempore nasci, vitæ telam à summis rerum asperitatibus ordiri, eandemq; ærumnosis laboribus, morte cruentâ pertexere compellit. O celebrem, ò stupendam Amoris unius victoriam, ad qvã obstupescite invictissimi qvondam Heroes, qvi spem nominis factorum magnitudine superastis. Silete jam, qvi tot millia mari devictorum, terrestri demum prælio, turpem in fugam projeciστis. Ne verbulum proferte, qvi parvulâ manu, innumeras copium hostias profligastis. Non vobis amplius immortalitatem apud posteros, ob tàm præclarè gesta vendicate, sed omne nomen æternitatis stupori consecrandum, omnes laudes, omnesq; laureas *Amori* hodiernâ luce tradite, qvi de DEO ipso, qvem metuunt & adorant Angelorum catervæ, qvem horrent inferorum claustra, creaturarum minimæ agnoscunt, nobilissimæ reverentur, triumphum nunqvam in seculo visum vel auditum reportavit. Qvem cum *Bernardus Serm. 46.* in Cant: Cant: altissimis animi radicibus infixisset, qvasi

extra

extra se abreptus loqvutus est. *O suavitatem, & amorù vim. Summus omnium, imus omnium factus est. Quù hoc fecit? Amor dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Qvid violentius? Triumphat de Deo amor, ut scias amorù fuisse, quod hodie plenitudo effunditur, latitudo æquatur, singularitas sociatur.* Qvis jam dignũ profundissimo stupore Incarnationis JESU opus diffitebitur? qvis præ ipsâ admiratione exanimatus cum *Damasceno* (lib. 2. de fide Orth: cap. 3.) non affirmabit? Opus hoc esse novum novorum maximum, & qvod solum novum sub Sole, est, per qvod infinita Dei apparet virtus. Obstupesce hodie Daniel & exanimis in terram corrue, qvi jam non Angelum splendidis vestibus indutum, sed Angelorum omnium Regem cernis, qvem illa sacratissima Puella, inter paluſtres tugurioli cannas, inter pecorum anhelitus parit, in qvem perflant acerbiores venti, & in tenellos artus parvuli, nullâ clementiâ desæviunt. Obstupesce *Isaia Propheta*, qvi jam Deum non inter duos Seraphim, non in sublimi loco, sed inter bovem & asinum, inter pauperculos pastores, in desertâ semirutâq; casulâ conspicis, qvam tamen crebræ de cœlo faces, magnâ dignitate circumvestiunt. *Ita hic sanctior est locus rupe Tarpeiâ. qvæ de cœlo sæpius fulminata, ostendit qvod* DFO *displiceat.* Obstupesce, dum æterni Patris, æternum

filium

filium, Angelorum delicias, in qvô ne minimus qvidem unguiculus erat, qvi non ſpiraret divinitatem; dum inqvam cernis in ſtabulô loco palatii, in præſepio loco throni reclinatum, in paleâ loco auleorum extenſum, à Paſtoribus loco Purpuratorum ſtipatum, tantâq; inter inchoatæ vitæ acerbitates ſerenitate renidentem, ut non dulcius micarent ſtellæ, non ſerenius fulgeret lacteus ille circulus, non placidius ſpirarent Etheſiæ. Imo totus hic obſtupeſcat Orbis, hic præ admiratione deficiat & conſternetur. Hodie etenim inſignis ille lapis, ſeptem oculis radians, mirificeq; ipſius Dei operâ cælatus, quem qvondam à Patre æterno, Sacerdoti magno JESU oſtenſum eſſe apud Zachariam legimus, qvi nullus alius eſt niſi CHRISTUS JESUS; *lapis in fundamentū Eccleſiæ pretioſiſimus*: lapis, quinq; ſplendidiſſimis ſtellulis, in campo cruentæ paſſionis rubens, qvinqve nimirum ſacratiſſimis vulneribus tanqvam divinis trophæis coruſcans. Lapis ſeptem oculis condecoratus, ſi ſeptem SPIRITUS S. favores, humanæ CHRISTI JESU naturæ, indicibilem pulchritudinem conciliantes ſpectem. Lapis oculatus, ſi divinam ejus & inexhauſtam ſapientiam, per oculum ab *Ægyptiū*, per oculum totum videntem, ſomni expertem à Tertulliano, & per ipſam lucē ad omnia excubantem, deſignatam, perpendam; qvem oculum, ſive aſcendas in cœlum, ſive te abdas

das in remotissimas terræ partes, sive trajecto Oceano in oris extremis delitescas, sive obscuræ noctis latebras inqviras, nunqvam, omnia complectentem, tenebras juxta ac lucem æstimantem effugere potes. Lapis Persarum gazis, mundiq; thesauris carior, ipsâ magni operum mirabilium opificis dexterâ cælatus, tam eleganter, ut illa CHRISTI JESU humanitas, omni sapientiâ, virtute, & gloriâ, qvasi qvoddam divinum cœlũ lunâ stellis & Sole, distincta esse videretur: tam sapienter, us gemmæ politissimæ, aureo, Divinitatis annulo insertæ, ipsissimam vivamq; imaginem referret; tam subtiliter, ut inter naturam divinam & humanam summa sit in VERBO unio, intima per unionem earundem complexio. O sublime Mysterium. O miraculum omnium miraculorum maximum, ad qvod, illæ magnæ mentis, purissimæ scintillæ, expressius ad æternę pulchritudinis exemplar conformatæ expavescunt, & dum lapidem hunc, naturam nimirum CHRISTI JESU humanam ad thronum majestatis divinæ elevatam advertunt, se ipsos jam inferiores, imò corporum administros, salutis humanæ propugnatores, obsequio servos, cum ingenti pavore fatentur, licet in illos ab ipsis ortus primordiis, tanqvam in vasa myrrhea aut crystallina, omnibus artis lenociniis enucleata, divinitatis rivi, tantâ & tam inusitatâ donorũ fragran-

tia

tiâ depluerent. O utinam pat esset ætas! sed sum infans, utinam facundiæ flumen adesset, sed defi-cio. Utinam in ore meo voces, omnium perso-narent Oratorum, utinam in me spiritus, totam eloqvii latialis respiraret svadam, sed jam langui-dus & hærens obmutesco, corpore & animo cor-ruo, admirationis stupore confusus. Quidquid enim hodie intueri licet, miracula sunt, prodigia sunt, naturæ leges juraq; violantur. Præter enim hoc, quod Rex sæculorum immortalis, cujus immensitatem cœlum minimè capit, tanquam Unicornis cœlestis, *dilectus quemadmodum filius Unicornium*, prius tonans, fulminans, piaculari eluvie terram, horribili comburio Urbes obru-ens, nunc rectâ ad Virginem formosissimam B. Mariam pergat, demittat sese blanditer, & in sinu ejus moliter conquiescat, in ejusq; facie, tot cœ-lestes gratiæ renideant, quot serenâ nocte fulgent in cœlo stellæ, instar ardentium gemmarum suis Orbibus affixæ; præter inquam hoc. Omnia ho-die mysteriis scatent. Universus terrarum Orbis hodie, mandato Augusti describitur. Pax per omnes mundi angulos hodie dominatur. Jani templum, in simulacrum *Orta in diebus ju-stitiæ & abundantiæ pacis* hodie obseratur. Tres Reges ab extremis mundi finibus in Bethleem hodie proficiscuntur. Herodes Jerosolymis ho-die tremit. Doctores Legis & Scribæ hodie ora-

cula

cula consulunt. Pastores concentum suavissimum musicorum cœlestium hodie percipiunt. Bos & asinus infantem primi hodie adorant. Idola ad terram hodie prosternuntur. Sol in tres partes hodie scinditur. Fons Romæ oleum hodie scaturit, & in Tyberim fluvium copiosè sese exonerat.

Sed te jam alloquor *Celeberrimum* Rosetum *Balthicum, Palladium totius Megapolitanæ regionis, delubrum Eruditionis, commune quoddam sapientiæ Oraculum, omniumq; disciplinarũ* quasi Emporium. An tu quoq; ad admirationem & stuporem non compelleris? dum hodie parvulum, vix ocellos aperientem, tenerè vagientem & plorantem contemplaris; qui tamen tot cælata in æthere stellarum simulacra nominat, qui perpetuas dierum conversiones consignat, qui imbrium stillas percenset, qui arenas numerat, qui profundissimas scrutatur voragines, qui mentis humanæ latebras, abditosq; recessus permeat, qui *Platonem* & *Stagiritam* inscitiæ arguit, quorum prior quò plura Deo tribuebat, eò minus huc venturum suspicabatur; alter verò, Motorem suum cœlo firmissimè alligabat. An mirari non debetis vos accuratissimi Philologi, qui hodiernâ luce VERBUM ACTIVUM, simul & PASSIVUM, adepti estis? Nonne ACTIVUM? qui hanc ampliſſimam & florentiſſimam morta-

mortalium Urbem, qva qvid præstantius? qvid pictius? qvid elegantius fingi potest? fabrefecit. Nonne PASSIVUM? qvi passibili carne indutus, summas jam atrocesq; in ipsis vitæ exordiis perpetitur ærumnas, & postmodum, inter crudelem hostium petulantiam, sputis illitus, vinctus funibus, cæsus flagellis, spinis laceratus, in crucis funestissimâ lanienâ deformatus, extremum spiritum, prô nostrâ salute, constanter effundet. An non mirari debetis & vos subtilissimi Logici? dum jam ex duobus principiis intervallo prolixo distantibus, ex HOMINE & DEO unam Conclusionem inferri auditis. Et VERBUM CARO FACTUM EST, ET HABITAVIT IN NOBIS. An non mirari debetis & vos ingeniosissimi Arithmetici? dum hodie nodum illum ratione sua dissolvere non valetis, qvomodo nempè duæ naturæ diversæ, unum suppositum obtineant, & in una suppositalitate duæ perfectissimæ & impermixtæ maneant. An non mirari debetis & vos acutissimi Geometræ? qvod talis mensuræ genus vos fugiat, per qvam infinitum cum finito, temporale cum æterno, immensum cum angusto, DEUS cum Homine mensuratur, & ita mensuratur, ut ne hilum qvidem divinæ naturæ laudum diruat, aut majestatis divinæ apicem hæc mensura infringat. An non mirari & vos debetis? solertissimi Mathematici, dum Solem illum lucidis-

simum CHRISTUM JESUM, eclipsim pati, sed non in se obscurari, nube naturæ humanæ obvolui, sed ne minimum qvidem de splendore ejus divino deperdi agnoscitis. An non mirari debetis & vos Musici turbulentorum motuum propulsatores, jucunditatis conciliatores? dum jucundissimam & harmonicam modulationem, auribus arrectis percipitis, qvæ voces *diversas* & *dissonas*, vocem nimirum DEI & HOMINIS, reddit consonas, longam cum brevi temperat, varios æqvabiliter concentus format, & incredibiliter dulci modulamine aures naturâ delicatulas mulcendo complet, & complendo mulcet. Dulcissima sane Musica. *Chalybs*, qvi dulcedine, ejus non movetur. Efficacissima profecto. *Ilex*, qvi suavitatem ejus non sentit.

Sed qvò magis tam tremendum mysterium trutino, eò magis in illum Polycriti lacum ingredior, in qvem qvò altius qvis progreditur, eò magis ac magis per singula momenta, succrescentibus aqvis implicatur. Flecto itaq; jam Orationis licet ineliqvatæ cursum, in LÆTITIÆ, VOLUPTATISQVE campum. Sed verè campum¡ qvis enim certam viam aut limitem in eo comprehendere potest? Præsertim si primò lumina mentis erexerit, ad inexhaustam CHRISTI JESU bonitatem, qvæ cumulatissimum totius perfectionis florem complexa, nullius rei indigens,

gens, omnium opulentissima, toti se mortalitati nostræ, in ineffabili incarnatione, profundissimâ qvadam liberalitate profudit, calamitosamq; humanæ naturæ sortem, in prosperam ridentemq; fortunam erexit. Jacebat enim illa, proh dolor! in perpetui squaloris sordibus, sanguineis ipsorum Diabolorum simulacris protrita ac conculcata, nullus timor Numinis, nulla inferorum suspicio, nullus religionis sensus. Ubiq; Dæmonum simulacra, Dæmonum aræ, Dæmonũ templa, & qvod dicere perhorresco, in ipsis excisis & funestatis Dei altaribus, Dæmonum vexilla, trophæa, triumphales arcus fulgebant. Funestissimus Orbis vultus, partim fœdissimi lupanaris, in qvod omnes libidinum cloacæ defluxerant, partim amphitheatri cujusdam ex scelerum colluvie humanoq; cruore macerati speciem præferebat. Qvid interea benignissimus DEUS? vibrat ne fulmina? exqvisita ne tormentorum genera, ad impiorum mortalium scelera machinatur? Minimè verò; amplectitur satius viam ab ipsis etiam Angelorum mentibus secluſam, tam deplorandam & sub adversæ nimirum fortunæ pede prostratam naturam, in ipsissimam nobilitatis lucem, in hilaris fortunæ exemplum sublevare conatur. At qvibus artis illecebris id factũ oportuit? talibus nempe. DEUS se homini abjecto, plenissimô divinitatis fulgore circumfu-

sum repente objicere debuerat: sed luto & tenebris oppressa hominis mens, ne minimam quidem lucis illius scintillam, nisi per transennã sustinere poterat. Qvid igitur summus ille omniũ effector & restaurator agit? qvid comminiscitur? Acerrimos illos & indomitos divinitatis radios, lenissimâ veluti corporis nubeculâ perfringit, & in hac primi parentis argilla, non jam fugaces & vetustos sui colores imprimit, qvibus finem ætas esset alatura; sed se ipsum hoc luteo mortalitatis nostræ ergastulo circumclusum, terris exhibet, & ut à sumô bonô semper fugientẽ *homulum* semel apprehenderet, imô ut delicatissimis & ab æterno expetitis amoribus ejus, tanqvam suæ exoptatissimæ Sponsæ frui posset, ipse hominem induit, ipse humano corpore sese cooperuit, egregiũ ac industrium sane aucupem æmulatus, qvi ut aviculam suo ingenio vagam, & timidam alliciat, confectâ è versicolore plumarũ apparatu tunicula, facilius venatur & melius. O VERBUM æternum! qvid tibi tandem stimulos admovit, ut tam fragili naturæ copulari, illamq; sibi in sponsam eligere velis. Perpende tecum ô Angelorum Princeps, qvàm inopi stirpe oriunda sit, qvam vilis & abjecta ejus conditio. Filia scilicet, perfidi & infelicis Adam cujus prosapia ad scopulos infamiæ adhæsit, qvi ab eâ progeniti fuere, vel in fortunas aliorũ, tanqvam in vacuam possessionem

nem grassabantur, vel inculpatissimorum sanguine manus contaminabant, vel orbem rapinis exhauriebant, vel Dæmonibus ipsis ut omnium bonorum largitoribus impiè litabant. Novit hæc optimè Sponsus Cœlestis CHRISTUS JESUS, novit; sed incredibili amore erga naturam humanam captus, nihil aliud loqvitur, qvàm *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* O amorem immensum! amorem sine modo, amorem sine termino! amorem sine exemplo, amorem sub qvô intellectus deficit, animus verò ipse, in summam & æquissimam sanè, voluptatem resolvitur, qvàq; uberiorem amplius imaginando, conseqvi non valet. Qvod, qvis in dubium vocare audebit? si illi primævum lugendumq; mundi statum in memoriam melius revocare, si obductas ejus cicatrices diligentius commemorando refricare placebit. Perferebat etenim mundus acerbissimum casum, paralisi noxæ originalis distentus, à quatuor aut quinq, millibus annorum decumbebat. Jam omnis spes præcisa ipsi videbatur salutis, adeò, ut non minus pharmaco qvam contagioso morbo conflictaretur. Nullũ ad extremũ præsentius & efficacius solamen cernebat, qvam si ipse CHRISTUS in has terrarum oras veniret, & qvasi ortum Solis jubar, vultu aspectuq; suo jucundissimo, moribundum sanitati redonaret. Lento qvidem gradu tam sublimis negotiatio,

CHRISTI nimirum adventus, in *Consistorio Sanctissimæ Trinitatis* procedebat, & per tot millia annorum, arrigebat totius Orbis morte laborantis mentem. Tandem; ut extremis morbis, extrema solet adhiberi medicina, omnes suadæ, gratiæ, vires CHRISTUS JESUS explicans, invisit lethaliter mundum ægrotantem; sapientē medicum profectò æmulatus præstolabatur prius, summū mundi paroxismum, donec nimirū *Peccatum & Concupiscentia*, uires suas omnes evomerent; postmodum autem, cum neq; Natura, neq; Lex Mosaica, tantis malis defatigato mundo, mederi potuisset, ipse morbum pestiferum, æviternam minantem perniciem propulsando, pristinæ incolumitati reddidit. *Ad sanandum* (utar dulcissimis *Augustin: serm: 59.* verbis) *grandem ægrotum, descendit omnipotens medicus, humiliavit se usq; ad mortalem carnem, tanquam usq; ad lectum ægrotantis.* Piissimum adhuc medicum imitatus, non spiritibus cœlestibus, non ulli mortalium salutem nostram concredidit, sed in propriâ personâ *semetipsum exinaniens, formam servi accipiens*, saluberrimum ingenti morbo antidotum adhibuit. Et qvod omnem stuporem superat, qvod sortem mediocritatis humanæ transcendit, se ipsum nobis pharmacum confecit; imò ipse ægritudine intolerabili, in carne humana confici voluit. O inæstimabile. O incomparabile medeci-

dicinæ genus, per qvam, *Medicus tantus* (ut inqvit Auguſt. ſerm. 19. de SS.) *voluit ægrotare, & ægrotes ipſos, qvibus ſalutis remedium procuravit ſua infirmitate curare.* Qvis jam intimiores ingenii tui receſſus penetrare valet O Excellentiſſime Magnæ, hujus Orbis, Reipubl. Doctor? Non te præteribat (adverto) theriacam de ſerpentis carne confectã, morſibus ſerpentinis mederi. Non te latebat (video) ſcorpionum carnes oleo coctas, contra ſcorpionum aculeos prodeſſe; idcircò, carnem qvoq; noſtram, contagioſo ſerpentis ſcorpionisq; infernalis ictu ſauciatam ac intoxicatam, tuâ ſanctiſſimâ peccatiq; expertè carne ſanare voluiſti. Agnoſcat jam mundus fortunam ſuam, fauſtis & ſecundis ominibus proſeqvatur beatiſſimum ſuum ſtatum, copioſoq; perfuſus gaudio, cum *Propheta* clamet. *Cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi Domine.* Qvis enim unqvam votis auſus erat ſperare, nedum conjecturâ præſagire proſperitatem tantam? ut nimirum *Deus Opt. Max.* mundo, qvi ſcalas penè ipſas, jam cœlo, gigantum more, ad ſuprema ejus domicilia excindendo, admovebat, tam illuſtre favoris documentum, per tam ſtupendam medicinam exhiberet. Sed, qvid adhuc aliud mundus erat, anteqvam Maximus Imperator, ſub noſtri generis ſimilitudine potentiam ſuam clauderet? qvâm Urbs mortalium ampliſſima, qvam Capitalis ejus

hostis, cum tota infernali catervâ, per qvinque millia annorum (ô prolixa & tædiosa tempora) obsidebat, in ultimamq; fermè necessitatem & inediam redigebat, superbia tumidus, tragicæ hujus Urbis cladi insultans, in castris suis, stentoreas edebat voces. *Comprehendam terrarum Orbem, ut nidum, & ut derelicta ova absumam, nec erit qvi effugiat me & adversetur mihi.* Princeps autem Urbis *in summis & continuis lachrymis votum erat, ut aliqvis* rebus ejus lapsis succurrere, tempora tam afflicta sublevare posset: nihil qvidqvã ardentioribus votis expetebat, qvam ut finem tot ærumnis CHRISTI JESU adventus adferret, ideò incessanter hocce lugubri carmine cœlum ipsum solicitabat. *Qvis dabit ex Sion salutare Israel?* Sed tam magnæ molis deliberatio, tardos habebat progressus, atq; per tantam seculorum seriem difficiles ad hodiernam lucem explicatus; qvâ jam, illa fervidissima illius votâ ad desideratũ & lætissimum perducuntur eventum. Hodie enim, elegantissima, omni deliciarum genere referta, splendentibus velis, Navis Regia, Beatissima nimirum MARIA, in portum ejus devenit, è qvâ, cum mundus, panem Angelorum, panem cœlestem, panem vitæ æternæ accipiat, qvi Urbẽ fame rapidâ pressam confortabit, cur vel minimo se ipsam dolore maceraret? è qvâ præstantissima Navi, cum manna suavissimum, de cœlo trans-

transmissum sumat; Salvatorem nimirum dulcissimum, qvi totum qvasi cœlum disrumpens, omnes Deitatis suæ thesauros, omnia misericordiæ viscera, imò totum se qvantus qvantus est, cum omnibus donis & favoribus in illam effudit, cur vel tenuissimo mærore hodie conficeretur? Ex qvâ deniq; pulcherrimâ Navi, cum preciosissimam Unionem, non jam ex rore & Jove tonante, (prout illa apud Plinium lib: 14. c. 13.) sed ex purissimo Deiparæ Virginis cruore, & ex incomprehensibili Spiritus S. virtute concretam adipiscatur, qvæ jam immensas nec intellectu Angelico perveſtigabiles opes, Urbi huic suppeditavit, cur non summis & eximiis gaudiis locum hodie concederet? Ingentem revera exultandi ansam, justissimamq; nactus est hodie, dum se ex tam tristissimis & periculosissimis casibus, solius CHRISTI incarnati beneficio ereptum esse videt, confluxumq; rerum prosperarum, postqvam ad finem mala pervenerunt, cernit, qvem ne qvidem spe ac votis concipere poterat. Imò crediderim ego, ipsam commemorationem præteritę calamitatis ipsi gratam esse, solatiumq; graviora perpesso, non mediocre adferre. Ut enim illis, qvi ex gravi morbo recreati sunt, jucundior est fructus, & acrior in integrum restitutæ sanitatis sensus, qvâ si nunqvam ægri fuissent; ita nemo melius sua bona novit, qvam totus Orbis, qvem sævi labo-

res, qvem mœstissimi eventus plurimum exercuerunt. Nullam profectò, etiamsi vellemus, O. O. AA. SS.; hodiernâ die, tristandi, summam verò tripudiandi causâm habemus, dum præter prædicta beneficia, insignem in incarnatione Jesu, metamorphosim, inenarrabilis boni nostri complementum esse agnoscimus. Vos jam sermone meo compello, qvi horum corporũ cœlestium motus, positus, eorumq; phænomena comprehenditis. Nonne vos *Solem* in *Leone* tanqvam in proprió, tanqvam in maximæ dignitatis, tanqvam in imperanti & igneo signo, ob intensiores tunc ejaculatos ardores, commorari asseveratis? Dum verò ad *Signum* deflectit *Virginú*, inter *Leonem* & *Libram* mediæ, nonne tunc *Solem in Signo* temperatiori, clementiori, (ob moderatum calorem) habitare affirmatis? nonne *Solem* in æde exulanti esse dicitis, ipsumq; Exulem qvasi & peregrinum appellatis? Nullus sane negare audet, tam unanime omnium Vestrum effatum. Qvid jam Deus est aliud, qvã Sol æqvitatis splendidissimus, à qvô, inops genus mortalium, cum toto Beatarum mentium exercitu unicum lucis vitæq; radiolum emendicat. Anteqvam hic Sol per ineffabilem incarnationem Mundi Hemisphærio illuxisset, Signum Leonis, Signum maximæ dignitatis, Signum imperans atque igneum incolebat. Nonne in Signo imperanti erat? cum

in-

in illo felicitatis solio ab æterno collocatus, regeret ad placitum omnia, & fatorum seriem admirabili potestate dispensaret; qvi si qvando terrorem imis pectorum medullis incutiebat, qvis ad ejus speciem non perhorrescebat? Nonne in Signo dignissimo erat? dum in throno ex Sapphiris pulcherrimè concinato, tanqvam serenissimus Mundi Princeps sederet, amplissimâ, qvâ præditus est, majestate, expers omnium malorum, immortalis, natura perfectissima, imò ipse fastigium & extrema linea felicitatis; cujus nomen qvoq; nullâ Oratione vel ratione explicandum summus Pontifex solus, idque in anno tantum semel, *decimâ lunâ Septembrû*, in interiori sacrario, arcanô qvodam more à Moyse tradito, cum ingenti tremore pronunciabat. Nonne in Signo igneo erat? cum mundi hujus universam machinam, generali aqvarum diluvie suffocaret, dum Sodomam & Gomorrham igni depopulandam devoveret. Nonne in Signo Leonis erat? dum totus mundus ad æstum furoris ejus intolerandum fermè corrueret, dum tanqvam Leæna (ut ipse per Oseam c. 13. fatetur) vindictam atrocissimam de sceleribus ejus sumeret. Hodierna jam tandem die. *O mutationem! O metamorphosim inopinatam! dum in signum, vel potius in sinum Virginis Beatæ devenit, benignissimum & clementissimum Signum occupavit.* Qvidni

beni-

benignissimum? cum jam omnem Majestatem, omnem furorem deponat, & Agni verèq; magni indolem assumat. Qvidni clementissimum? siqvidem ille, de cujus prius vultu, judicium prodibat, & cujus oculi meras videbant æqvitates, nunc parvulus, omni seclusâ irâ & magnificentiâ, unâ lachrymulâ placetur offensus, uno suspirio gravissimas condonet noxas, injuriarum omnium prorsus oblitus, blandissimè cum Orbe terrarum, per sacram puellam colludat, totum se illi consecret, irasci ignoret, ferire puerulus non cogitet. Qvid plura? qvid diviniora? Hoc signum Virginis purissimæ Sol candidissimus CHRISTUS JESUS ingressus, Exulem se & Peregrinum toti Orbi re ipsâ ostendit. In ipsis qvippe maternis viscеribus delitescens, profani Imperatoris mandato, dulcem Patriam, tristi exilio mutare cogitur, ne ex genuini Soli affectione primum etiam spiritum delibaret, peregrinus nascitur, Exul nascitur. Nato, subinde & vix qvadraginta dierum infantulo, aliud exilium decernitur, intentatur tenello, & adhuc exangvi jugulo sævissimi Regis mucro, parvulorum aliorum cruore innocenti perfusus, ex cultris victimariis ereptus, in ultimas barbaræ gentis oras fugit sine lare, fugit sine pignore, fugit sine hospitio, fugit Orbis terrarum exul, fermè à communi luce & spiritu seclusus. Hoc signum Virginis ingressus, jam inter *Leonem*

&

& *Libram*, inter nimirum *Patrem* æternum, rigidamq; ejus *Justitiam* medius consistit. Jam amplius ille summus arbiter rerum humanarum, ad severissimam lancem æqvitatis examinare nostra flagitia, illaq; tam gravibus suppliciis vindicare, non potest. Medium enim, imò advocatum, hodie *Solem* adepti sumus, per qvem Pater æternus, neglectâ veluti justitiæ staterâ, in arctissimam nobiscum gratiam revertitur, svavissimoq; fœdere, in intimum amorem coalescit. O DEUM immortalem! qvis jam vel mente concipere valet, tantos cœli favores, qvi nobis in hoc telluris infimæ globo, per Solis lucidissimi CHRISTI JESU, in signum Virginis descensum obtigerunt. Non, si me Hercules Tulliana mihi adsit facundia, non si Demosthenis Myrothecia; enarrare, possem fortunam modernam qvæ attritum malis immensis mundum, beatissimo beneficiorum Christi proventu, in antiqvum splendorem restituit. Non, si habuero Cherubinorum spiritu dissertationem afflatam, vel lingvam Seraphinorum impetu incensam, digno elogio celebrare possem tot laboribus & ærumnis CHRISTI incarnati, partam nobis, inæstimabilem illam dotem aureæ libertatis, qvam tanqvam preciosissimum depositum, qvousq; rebus mortalium adsumus, conservare cum summâ animi religione & *voluptate* tenemur. Exeste jam toto Orbe mœrores. Secedat

cedat è pectoribus angor. Procul este dolores severi cordium carnifices. Solas sibi partes vendicet lætitia. Qvemadmodum enim illis, qvi in vastò mari, periculis ac tempestatibus diu multumq; jactati sunt, nihil exoptatius, nihil auspicatius visu evenire potest; qvàm si Gemellorum Sydus, cœlo lumen suum exerat, unde præscii fluctuantium animi, spem propinqvæ serenitatis augurari solent. Sic non est dubitandum, qvin nos gratissimâ voluptate perfundi debeamus, qvi jam non Gemellorum Sydus, sed ipsum in Signo Castissimæ Virginis, induciarum Solem conspicimus, extollentem signum ad sperandam jam fixam & perpetuam pacem, qvæ sola in solido locare potest fortunas nostras, tantis malis & miseriis per tot annorum millia afflictas. Non est dubitandum, qvin illustres in toto etiam corpore, hilaritatis notas præseferre teneamur, dum jam charissimo Solis in signo Virginis, nempe CHRISTI JESU conspectu fruimur, qvi nobis lucem serenissimam retribuit, qvi nubem anxiis mentibus detersit, qvi illam peccati originalis diuturnam tempestatem sedavit, qvæ tanto impetu humanæ naturæ cymbam concusserat, ut generale qvoddam & commune interit9 æterni discrimen sibi instare judicaret. Non est dubitandum, qvin non solum largam materiam suppeditet, sed honorificam etiam, in effusissimam lætitiam erumpendi

pendi neceſſitatem imponat, non jam ille *Serapides*, qvem Ægyptii Solem, tenebrarum depulſorem interpretantes, ſolenni annuâ recordatione, ad ſempiternam poteſteritatis memoriam nobilitabant; Sed Sol ille nitidiſſimus Salvator & σωτὴρ generis mortalium, qvi in Signum Virginis deſcendens, nubeq; humanitatis ſeipſum contegens, enormes veterum errorum tenebras depulit, Chriſtianæq; religionis ſplendorem jucundiſſimè per Orbem ſparſit. Verum; in ipsâ etiam fidei Cymbulâ, immenſum hoc mare decurrens, feſſus ſum, jam langvidus & hærens obmuteſco, corpore & animo, qvaſi deliqvium paſſus corruo. Sermo enim non adeſt amplius rebus immenſis, nec ſe ulterius explicare valet animus, ingenti STUPORE & LÆTITIA circumfuſus, ac debilitatus; ob omnium rerum optandarum fructus, qvi nobis ad frementem etiam totius inferni invidiam, illuſtriſſimo CHRISTI incarnati favore ſuppetunt, ob præclariſſima dona hodie à Mundo, per jucundiſſimum Salvatoris adventum poſſeſſa, qvorum magnitudinem cum mecum impenſius reputo, meditari hæc debeo; qvod, ſi qvispiam nimirum hos rerum feliciſſimos eventus, hanc magnam fortunam præſagire mundo intendiſſet, non ſolum temerarius augur, ſed inſulſus, & commotæ mentis judicatus fuiſſet. Præſtantius enim eſt id, qvod CHRI-

STUS

STUS JESUS in nos præter expectationem contulit, qvam ut vel Cræsus ipse, universas si opes exhauriat, par esse possit, aut mihi si fontes aurei (ut Poetæ fabulantur) domi sint, aut Pactolus aliqvis aureas voluens arenas. Nihil jam felicitati nostræ amplius deest, qvàm ut seriâ æstimatione veneremur, religiosissimæq; recordationi consecremus, tam *venerabilem Supremi Numinis indulgentiam. Qvocircà supra reculas humanas, instar aqvilarum erecti, ad illius aureæ tranqvillitatis sacrarium*, lucidissimamq; Mysterii hujus divini caliginem deveniamus, in illà mentem à rebus fluxis, ab infamibus voluptatis scopulis avocatam, detineamus. Nullum aliud in hisce terris nobis sit hoc tempore negotiũ, qvam ut Stabulum mente ingressi, jacentem parvulum JESUM adoremus, ab illo tanqvam Eruditissimo Professore sublimem illam Philosophiam, humilitatem nimirum mundiq; contemptum discamus, & ut varii Præceptorum suorum mores & indolem æmulati sunt, ut Aristotelis gibbum Peripatetici, Cyri aqvilinum nasum Persæ, ita & nos præstantissimas CHRISTI JESU virtutes studiosè æmulemur. Nihil hodie agamus, qvam ut supremum omnium bonorum dispensatorem intimo affectu veneremur; ut ille *Celsissimos Principes* nostros, ingentia Imperii pignora, tanqvam benefica Sydera è cœlo populo transmissa, tardissimè

patriæ

patriæ illi aulæ reſtituat. ut Ampliſſimos Prudentiſſimos ac Conſultiſſimos hujuſce Reipub. Conſules & Senatores, Depoſitores publicæ ſalutis, Vindices patriæ dignitatis, diutiſſimè & feliciſſimè clavum Reipub. moderari concedat; ut totam hanc cum URBE Megapolim, deplorandis calamitatibus tam diu attritam, proſperiori tandem proventu in antiqvum illum ſplendorem reſtituat. Ut hoc florentiſſimum utriusq; ſapientiæ *Seminarium* ſuâ clementiâ & benignitate ſecundet, qvò magis ac diutius literarum gloriam ſeculiq; dignitatem propagare poſſit. ut Germaniam florem illum qvondam literarum, Solem illum Gentium, illam hominum officinam, funeſto lugubriq; bello penitus collapſam in antiqvum decus revocet, uſuràq; tranqvillioris ſtatus per tot tempora, horrendis cladium tempeſtatibus agitatam frui permittat: ut nos ad extremum omnes, cœleſti ſuo favore complecti, noſterq; Emmanuel per totum hujus ærumnoſæ vitæ curriculum manere dignetur, donec ipſum in illa æternitatis immenſæ ſpatia, ex hac mundanarum illecebrarum caligine educti, de facie in faciem, in illâ ſupremâ Hieroſolymâ intueamur, inter cœleſtium concentus amorum DEO ipſo pleni, feſtivum ad Clepſydram æternitatis hymnum cantaturi, eamque vitam traducturi, qvæ nec temporum metis nec felicitatis modo

circumscribitur, qvam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec humana mens capere potest.

Tibi jam Magnifice Dn. Rector, Princeps Senatus Academiæ, qvod sacra hæc nostra, auspicatissimo tuo conspectu ritè secundare voluisti, magnas reporto gratias. Non minores Vobis Reverendi admodum Excellentissimi Clarissimi Domini Professores, Doctores debeo, qvod ludum hunc nostrum literarium severioribus vestris conatibus prætuleritis. Similiter & vobis obstrictum me agnosco Amplissimi Prudentissimi hujusce Urbis Senatores, qvod venerabili suâ præsentiâ, exilem hunc actum meum condecoraveritis. Devinctus sum & Vobis Reverendi plurimum VERBI DEI Ministri, Clarissimi ac Doctissimi Artium Magistri, Viri & doctrinâ & virtute præstantissimi, qvod vilem sermonem meum adventu gravissimo, auribusque benignissimis exceperitis. Excipiat me potius & prius, ædes destinata furiosis & amentibus, qvam ut me aliqvandò tanti, Omnium Vestrum amoris, tantæ humanitatis subeat oblivio, donec illa vitæ portio in artubus residebit. Tibi deniq; Nobilissime & Eruditissime, ad sempiternum Ecclesiæ & Reipub. nomen progenite consessus, summas gratias habeo, qvod tantâ celebritate & freqventiâ confluxeris, ut ipsam

qvo-

qvodammodo Academiam sedibus suis excitam primâ fronte putarem; qvod inqvam confluxeris, non tàm ad ingenii vel eloqventiæ specimen, qvàm ad honestum pietatis officium, debitum & consecratum piis manibus Maximi illius Imperatoris, in breve corpusculum sese ex amore contrahentis. In hanc præclaram incumbere cogitationem cupio, ne ingrato & immemori hunc honorem & favorem delatum esse, existimes. Annue votis ô Sacra & ab humanis cogitationibus secreta TRINITAS unus DEUS, qvem ita unam in TRINITATIS plenitudine colimus, ut item TRINITATIS æqvalitatem in unâ Divinitate sine fine veneremur.

DIXI.

Sermo II.

De Cœli ineffabilibus favoribus, quibus humanum genus Christi passio & mors locupletavit.

Dum hodiernâ luce O.O.A. SS. mæstam ac flebilem oculorum aciem *in nostra libertatis Assertorem* in Angelorum delicias elevo, qvid aliud illum esse cerno, qvam publicum & authenticum suppliciorum & contumeliarum Originale, maledictis crucis, in conspectu Orbis affixum valuis? Dum vero verò in corda vestra luctu & gemitu in hoc jam lugubri Auditorio oppressa, eandem demitto, qvid aliud illâ esse intueor...? qvam Copias qvasdam, qvibus excellentiori (ut ita loqvar) pollice, Supremus sacrosancti Confistorii Cancellarius incubuit, dum in ipsis atrocissimam Christi Jesu carnificinam vivis & genuinis coloribus expressit. Expressit verecundũ Virginis partum à fædissimis lorariis ad crudelem diverberatum necem... Expressit, purpurâ, suo sanguine purpuratum corpus ad ludibrium indutum... Expressit venerandum in omne ævum caput, coronâ rigentibus spinis aculeatâ ad contumeliam redimitum... Expressit os Cœlestis Regis, nitidissimum illud Beatarum mentium...

ſpeculum percuſſum, teterrimaq; redundantium cænarum popinâ conſpurcatum. Expreſſit melius qvam penicillo Apellis aut cœlo Liſippi emortuum JESU corpus duriſſimo crucis ſupplicio multatum: ferreo vinculo conſtrictos ſanctiſſimos pedes, toties acerbis itineribus pro noſtra ſalute fatigatôs: clavis confixas, innocentiſſimas orbi incolumitatem parientes manus: natantes in cruore oculos, duo illa bonorum qvondam ſydera, improborum vero fulmina: occluſum illud puriſſimum os è qvo mellei depluebant favi: vinctam illam linguam qvæ ſilentio ipſo parricidarum crudelitatem arguit. Hinc iſte æqviſſimus mœror, hinc iſte debitus ſqualor, in ipſo Vultu patens, qvo hodiè obruti & ſepulti, cœlum ipſum atra veſte indutum conſpicitis, Principem Syderum, repentinis tenebris obductum tantumq; ſcelus erubeſcentem intuemini, ut Sydera etiam inanimata vobis æternæ conſcia triſtitiæ habeatis; O inſignem officii & pietatis ſuppliciis ac exeqviis Redemptoris conſecratæ gloriam! Verùm dirigite qvoq; aſpectum veſtrum O. O. A. S. in ſtupenda planè donaria, in cœleſtium gratiarum juge qvoddam ſeminarium, in ſvaviſſimos omnium exoptandarum rerum fructus à naturâ humanâ immenſis & continuis per qvinq; annorum millia cladibus attritâ, ad frementem inferni invidiam per crudelem paſſionem & mortem Fi-

lii Dei possessos; tunc non erit dubitandum, qvin in ipsum licet lachrymarum & gemituum Oceanum præcipitati gratissimâ voluptate perfundi, qvin illustres etiam in fronte hucusq; obnubilatâ lætitiæ notas, prævos ferre teneamini.

Qvam horrendâ etenim (ut inde sumam exordium) proh dolor! peccati originalis paralisi, à qvatuor aut qvinq; annorum millibus, naturæ humana decumbebat; qvæ adeo vitalem ejus spiritum absumebat, ut ad nullum pium bonũq; opus adinstar trunci sese movere valeret. Quemadmodum enim arbor de cœlo semel fulminata, subito exarescens, nullas frondes aut fructus producit. Sic illa culpæ Originalis fulmine concussa adeo contabescebat, ut ad omne virtutum & qvidqvid cum virtute conjunctum foret, velut stipes inepta redderetur. Princeps, jam in summis lachrymis, ad instar illius *apud Joan:* triginta & octo annis morbo conflictantis, *votum ejus erat*, ut tandem aliqvando *homo ille* veniret, qvi eam in *piscinam* post aqvæ motum conjiceret, qui tam periculosum ægrotum ab extremo lethalis infirmitatis paroxismo vindicaret. Non denegassent quidem tot spiritu divino afflati, tot sanctitatis fama conspicui Viri, tam eximium charitatis munus, ut naturam nimirum humanam tanto tempore ægritudine languentem ad piscinam detulissent; sed tam sublimis & ardua negotiatio exce-

debat ipsorum Angelorum sortem, nedum mediocritatem generis mortalium. Solus Princeps Angelorum, solus Monarcha Seraphinorum. Solus DEUS ipse CHRISTUS JESUS, magni consilii *Angelus*, lapsis humanæ naturæ rebus succurrere poterat, qvi lento gradu per longam seculorum seriem in hasce terræ oras prius veniens, Naturam humanam in piscinam saluberrimam, in cruentam nempe passionem, mortemq; suam crudelem hodiè projicit, in qvâ publicus hic primusq; in Orbis Nosocomio æger immersus, pristinæ sanitati redonatur, & in prosperã ridentẽq; fortunam erigitur. In qvo cruoris rosei stagno, in qvibus salutaribus undis, in qvo favorum diluvio absorptus, ab omni paralisi, qvam nec generalis illa aqvarum eluvies tollere, nec flamma Sodomitica exurere, nec pestifera Davidica lues extinguere valebat emundatur: & qvi prius in æterni squaloris sordibus turpis, & cruentis ipsis dæmonum pedib9 conculcatus jacebat, instar nivis albicantis egreditur. O felicissimam hanc lucem, ac omnigeni boni verè fontem. O lucem candidissimam, fertilissimam lætitiæ segetem Naturæ humanæ jam mortem ipsam æviternam spiranti offerentem. Veneretur illam sera posteritas, nec unqvam apud hominem intercidat tam eximii operis hodie cœlitus adornati memoria. Sed, plures adhuc obductas naturæ humanæ cicatrices

trices diligentius refricemus. O qvam violentos ac vehementes qvoq; febrium lethalium paroxismos deploranda natura Dæmonis subdita, filia iræ, mancipiũ peccati perpetiebatur? Qvantos Deum immortalem! sudores, ipso diluvii tempore, qvot dies Criticos tolerabat? dum qvadraginta dierum spatio singulis momentis, cum morte luctaretur; ah! qvam atrocibus doloribꝰ qvadringentorum annorũ in Ægypto, sexaginta annorum intervallo in captivitate Babylonica, excruciabatur? qvanto calore & æstu, tempore Eliæ in illa conflagratione Gommorrhea conficiebatur? Qvam ardenti tribus annis & medio, indefessaq; siti præmebatur? O qvid jam tandem in extremas redacta angustias non tentaverat? Consumpserat misella, recuperandæ sanitatis ergò omnem substantiam, sed omnia frustra. Frequentissima experta fuerat balnea, modo in mari Rubro natans, modo Jordani sese immergens, modo tot se victimarum, sacrificiorum, holocaustorum cruore abluens; sed, omnia frustra. Jam rigidam abstinentiam septem annorum scilicet, in Ægipto sustinuerat; jam temperatiorem pauliſper in deserto, qvadraginta nimirum dierum, adhibuerat, sed & hæc frustra. Jam cauteria, ferramenta, aliaq; diversi generis remedia, qvæ Chirurgia suggerebat, arripuerat, in vanum omnia. Jam ægra cœlum mutaverat, egressa Ægipto, qva-

draginta annis in deserto valetudinaria in salubriori velut aëre commorata. In vanum omnia. Jam suavissimis & jucundissimis dapibus manna cœlesti refecta fuerat. Jam & in terram promissionis animi causa exspatiata. Non ideo tamen illam contagiosa febris, qvæ tam profundas in ipsâ radices egerat, derelinqvere poterat. At ô Metamorphosim præstantissimam! O vicissitudinem excellentissimam! O mutationem eximiam! Hodiernâ enim die nacta est Nobilissimum & Ordinarium hujus Magnæ Reipubl. Medicum, qvi crudelem illam & prolixam generis humani febrim propulsat, eiq; stupendis artis suæ divinæ illecebris medetur. At qvibus tandem? Parat ex cruore suo sanctissimo in Crucis theatro naturæ pharmàcum; parat amuletum melitissimum. Et videns scientissimus ac peritissimus Doctor Naturam contagioso serpentis infernalis aculeo sauciatam, horrendum illum morbum contraxisse, illam hodiè sanctissimâ suâ humanitate, in ferventissimo passionis Crucisq; igne decoctâ, tanqvam efficacissimâ theriacâ, vespillonum manibus extortam, velut ab inferis postliminio in Orbem defert, confestimq; animam in corporis fermè emortui latibulis delitescentem insigni hâc medellâ provocat. Explicat adhuc in Cruce, hodiernâ die, ficum dulcoris liqvidissimi: explicat formosam illam in monte Calvariæ roseamq;

hu-

humanitatem, æternæ illi majestati copulatam; ex illâ missam naturæ languenti conficit, massam flagellis, spinis, clavibus, lanceis cruceq; contritam; hanc vulneri naturæ latissimo & profundissimo, applicans, ineffabili sanè pacto salutem largitur, O inæstimabile, O incomparabile medicinæ genus. O Illustrisimum favoris JESU naturæ præstitum documentum, qvod nunqvam votis ipsis sperare; ne dum conjecturâ præsagire ausa fuisti. *O quantum tibi se hodiernâ die afflicta qvondam, nunc verò fortunatißima natura obtulit hilaritatis campum! ô verè campum! qvi enim aut certam viam aut limitem in ipso comprehendere valet?* Ubi jam illa extrema inopia? ubi illud infinitum, cui solvendo in omne ævum par nõ fuisti debitum? ubi perpetui, favoris divini, cibi animę nostræ jucundissimi inedia? Ubi illæ qvas hostis infernalis ludibrio excipiebat, extremæ clades? Jam tantarum ærumnarum O. O. A. S. hodiè fuligo detergitur, jam prosperitatis fulgor omnia occupat, jam homo è cunctis calamitatibus *serenâ fronte, genù ad gratias rubescentibus, oculù illustribus, ore purpureo, aurea cæsarie. (veluti Sol ipse Oculus hic mundi, publicus lucis dispensator* è densis nubibus erumpit, ac glorioſum de profligatis omnibus malis triumphum, celebrat. Reperit enim hodiè, non jam in agro sed in monte Calvariæ, thesaurum ingentem sub nostræ mortalitatis

tatis involucro, sub funestæ Crucis ignominiâ absconditum. Non illum, cujus Josephus meminit, è Davidis sepulchro erutum, qvi tria talentorum millia: id est, decies & octies centena coronatorum millia valebat; sed longe pretiosiorem, mundi Dominum, ipsum bonorum omnium reconditorium, rerumq; cunctarum originē CHRISTUM JESUM, *in qvo thesauri Sapientiæ & Scientiæ sunt reconditi.* Ex hoc opulentissimo thesauro, immensum redemptionis nostræ precium depromitur; ex unica sanguinis JESU guttula hodiè desumpta, ad mille etiam redimendos Orbes sufficit. Adipiscitur hodiè natura humana mercatorem ditissimum CHRISTUM nimirum JESUM, qvi in monte Calvariæ infinita sanguinis sui carissimi summâ, infinitum debitum solvit; nec jam minutis ut mendici assolent, numerat nummulis, sed æmulatus illos qvi centum etiam ducatorum millia liberaliter æqvo pondere librant; totum corpus & sanguinem suum, Persarum totiusq; Orbis Gazis anteponendum, in cruce velut in uno ponderis pendiculo ponit, & sic gravissima statera à Patri cœlesti innumerabile illud æs, qvo natura sub pœna capitis aut carceris perpetui obstringebatur, restituit. Ad celeberrimum qvoq; hodiè invitatur natura convivium, *in qvo non solum tristem illam & tabidam expellit famem, sed saluberrimo ambrosiaq; suaviore cibo resicitur.*

citur. *At qvale nam fit convivium illud, scire experitù?* Benefica illa & salutaris Vis, summus ille regalium arbiter DEUS, obsecundans qvasi mori Hebræorum, tondit hodiè in Crucis mensa agnum illibatum, tondit tollentem delicta totius Orbis, CHRISTUM JESUM, tondit velut forpicibus, flagellis, tondit spinis, tondit lanceis, tondit clavis, & inæstimabili aureoq; ejus velere naturam redimit. Sed qvid dico tondit? mactat in Crucis ara pro delictorum nostrorum expiatione, & corpore sanguineq; mactati agni fauces naturæ inedia saucias recreat. Horrore silentii jam supprime Cleopatræ cænam, ô cana antiqvitas, duabus gemmis, ducentis & qvinqvaginta coronatorum millibus æstimatis, convivæq; *Antonio* propositis celebrem; sumptuosiorem enim & splendidiorem Æconomi Cœlestis in Calvariæ palatio, naturæ humanæ hodiè liberalitas exhibet, in qvâ suprâ auream Crucis mensam, duas cœlestes, infiniti valoris gemmas, divinitatem nempe & humanitatem JESU apponit. *Qvù unqvam tam lautum convivium, vel legit vel fando audivit?* Tace jam & tu Juli Cæsar Dictator, publicum illud & solemne tuum epulum, in qvo domito Pompejo, Romam triumphans ingressus, viginti mensarum millia selectissimis ferculis pro populo Romano instruxisti, vimque maximam auri velut missile in plebem

spar-

sparsisti. Tace inqvam qvæso, Nam hohiè Supremus Regum Rex, ministrorum infernalium, nempè peccati, mortis ac Diaboli spoliis onustus, magnificentissimum convivium Naturæ in Cruce instituit, infinitas mensas corpore & sangvine sanctissimo, delicatissimo sane animarum ferculo & liqvore repletas adornat. Adornat in augustissimo beatissimæ illius Civitatis templo, *ad reficiendas beatissimas illas purissimæ mentis scintillas, de sempiterni luminis facibus accensas*, ad saginandum tantum &in tot ordines divisum, exercitum, cœlestem; qvi non minus de hujus ferculi sapidissimi communione qvam mortales participant. Adornat deniq; per universum terrarum Orbem; & ut amplius magnificentiam suam & opulentiam Supremus Imperator patefaciat, infinitos favores, infinita beneficia in convivam & commensalem hodiernum, naturam nempe humanam, profundissima liberalitate profundit, & qvasi totus esset hodiè uber aut ex maternis uberibus conflatus, instar Isidis simulachri apud Macrobium depicti, ita se humanæ miseriæ & egestati clementem & magnificum in cruce impendit. *Qvid jam amplius deest felicitati tuæ ô abjecte homo, cum jam ad finem omnes illæ malorum Iliades pervenerunt, cum tantus confluxus jam sit hodiè rerum jucundarum, quem ne quidem spe ac votis concipere unquam poteras.* Nonne jam largam lætandi

randi materiam acerba Jesu passio morsq; amara hodiè tibi, ô dulci fortuna ebria natura suppeditat? imò nonne honorificam, etiam in ipsissimam hilaritatem erumpendi, necessitatem imponit...? *Nihilominus adhuc Natura humana maiore confecta & propemodum exanimata, capite demisso, vultu quasi Marsyas in statuis spectatur per quinq; millia annorum intedebat.* *Deplorabat* adhuc natura... fatorum suorum multoties malignitatem, qvod nempe cum ferâ & contagiosa Salamandrâ, peccato nimirum, vitam traduceret, qvam nec elementaris nec materialis ignis consumere poterat. Perdebat prorsus (ut ita loqvar) vultus constantiam, qvod cum illo portentoso ac terribili Crocodilo in hac vastissimâ mundi solitudine, communem lucis usuram hauriret, qvem nec Prophetæ intercipere, nec Reges expellere, nec Patriarchæ concludere, nec totus deniq; Orbis trucidare valebat. Poculis ipsis (ut ita loqvar) lachrymas pene ad desperationem effundebat, *cum metu secuturæ illius castigationis æternæ in igne inextinguibili, perterreretur*, dum se in illa seculorũ voragine, per tot centena secula, sine seculorum termino, tanqvam perpetuæ mancipium mortis absorberi debere autumaret, spemq; omnem patrii illius soli projiceret... *O funestissimam tunc temporis, humanæ naturæ faciem! O luctuosam & calamitosam sortem!* Verum qvid nam hodie immensa

mensa amantissimi Jesu, ipsi non præstat benignitas? qvid non attentat propter illam incircumscripta Majestas? *totum se hodie in monte Calvariæ explicat, & sub adversæ fortunæ pede naturam contritam, in illustrissimam nobilitatis lucem, in hilaris fortunæ exemplum erigere conatur.* Hodie ferme prodigus in hominem Jesus, æmulatus intensissimum sobolis amatorem Pelicanum, vellicat femur sacrosanctæ humanitatis suæ, vellicat flagellis, vellicat spinis, clavis, lanceâ vellicat, & excusso cruore copiosissimo virus illud Salamandræ pestiferum, visceribus naturæ inclusum propulsat. Irrigat naturam, inversam velut arborem veneno Salamandræ intoxicatam, irrigat sangvine suo purissimo, ut qvæ in Adamo, tanqvam in arido stipite ramus contabuerat, novo tandem germine pubescat. Projicit se se ultro Venerandus ille in omne ævum Pelicanus, in rogum Crucis, projicit se in ignem crudelissimæ mortis, in qvô spectante terrâ cœloq; ipso, in monte Calvariæ, fœdissimam hanc Salamandram veneno peremptorio naturam lenire solentem, ut aculeis inferorum acerbissimis pungeret, vivi comburio ê finibus humanarum rerum exterminat. Premit hodie uberrimus fons gratiarum Jesus Augusti illius Imperatoris vestigia, qvi pacatâ Ægypto Crocodilum animal horribile, ad palmam arborem catena alligatum, in nummis cudi voluit, cum

cum hac inscriptione. *Nemo antea religavit*. Hodiernâ enim luce liberator noster, insigni Victoria de Mundo per cruentum illud certamen reportata Crocodilum infernalem, monstrum illud ἀμφίβιον, in Cœlo & in terris infinitis insidiis in ruinam & perniciem naturæ grassari *totq; fallentibus suis lenociniis veluti potione soporifera sepultos per aliquot annorum millia devorare* assuetum; hodiè inqvam prosternit, hodie ad palmam arborem, ad Crucem benedictam, velut æternum mancipium constringit, cum hac inscriptione. Nemo ante religavit. Nemo, nisi Jesus Nazarenus Rex Judæorũ, qvi tam excelsam de Crocodilo infernali victoriam, suo cruore qvasi cerâ usus & sigillo, glorioſus triumphator obsignavit. Nemo religavit. Qvis enim præter Serenissimum Cœli Principem Christum Jesum, qvis inqvam in orbe tanti roboris reperiri poterat, qvi tam crudelem bestiam, à viru & fraude conflatam sub sua jura redigeret? *Nemo antea religavit*, cui enim alii Crocodili hujus versutiæ exploratæ erant, qvam Christo Jesu perspicacissimæ illi lynci, intimiores ejus recessus permeanti, Oculo illi toti videnti, somni experti, & ad naturæ salutem indefessè excubanti? Ne latum qvidem ungvem hodie recedit indubitata Orbis Salus à more Cervorum, ex qvibus flumen tranare aliqvod cupientibus, Unus omnium robustissimus in-

undas sese proripit, cujus tergo secundus, secundo tertius, & sic posteriores prioribus innixi, omnes longa serie fluvium perrumpunt, & ita prosperè absque naufragio in adversam Insulam perveniunt. Non recedit inqvam à more illorum, Jucundissimus generis humani Seqvester. Dum etenim nos fluenta & Oceanum mortis transire debere nosset, ut, *in illa altissima & illustrissima illibatorum animorum domicilia* ascenderemus. *Ecce hodie veluti ingentissimus Cervus*, qvò neminem unqvam validiorem Orbis conspexit, qvem Cœlestis sponsa capreæ hinnuloq; cervorum assimilat, Ecce in hoc vastissimũ passionis mare sese projicit, primusque mortem acerbam perpetitur. Cujus velut capitis Ducisque adminiculo innixus proximè Adam, Adamo Abraham, Abrahamo Isaac, Isaaco Jacob, Jacobo Joseph, Josepho Moyses, Moysi David, & ita retro venientium mortalium omniumq; nostrum series, procellosum hoc & periculosum mortis æternæ pelagus transit felicissimè, & ad illas fortunatas insulas, ad illam cœlestem patriam incomparabilibus primi hujus cervi Christi Jesu in amarissimo passionis mortisq; mari absorpti meritis pertingit. O amorem cervi cœlestis in naturam humanam immensum! O amorem ad qvem enunciandum non voce & latere Oratoris exigui opus est, sed Cherubinorum & Seraphinorum

norum lingvis & ardoribus. O amorem, omni humana cogitatione sublimiorem, de cujus præstantia non multo plus in his corpusculorum ergastulis inclusi intelligimus, qvam infantulus uteri tenebris circumfusus de luce hujus fulgentis ætheris cogitare potest. Venerare jam o homo, in extremo ferme felicitatis gradu collocate, Supremi Numinis gratias, qvæ tibi in hoc infimæ telluris globo per passionem & mortem JESU obtigerunt, Propulsa nunc mœrorem, seqvestra è pectore angorem, dum te pertinacem fortunâ lassasse, dum de fluctibus ærumnarum pedem extulisse conspicis, dum tam jucundos rerum secundarum eventus hodiernâ luce præoculis habes, qvos si tibi qvis præsagire intendisset, nonne vanus augur, qvid? nonne commoræ & insulsæ mentis homo existimatus fuisset. Hodie namq; cernit homo in cruce suavissimos expirantē odores Panteram cœlestem. Veniam qvæso præbe Majestas immensa, qvod te Panteram nominare audeam, qvi te abjectum vermiculum appellasti) O qvam venustissimis amoris, humilitatis, patientiæ, omniumq; virtutum variegata est coloribus, qvam gratissimis vulnerum livorumque insperſa in Cruce maculis; hujus tu fragrantissimis homo illecte odoribus, spretis vesanis voluptatum blandiciis, prostitutis infamibus syrenum scopulis, hanc solam amplectere, illam seqvere, si

non corpore, certè affectu, certè lachrymis, certè suspiriis, & amoris ejus inæstimabilis memoriâ medullitus percusse penitus liqvesce. Hujus Panteræ cœlestis CHRISTI JESU, qvasi catenis religatus, hære velut suæ origini, nullumq; cum his acerbissimis illecebrarum Gymnasiis, cum his odoratissimis putoribus, cum hoc ceno mundissimo, cum hisce qvisqviliarum sordibus commercium habe. Hodie adhuc videt homo admirandæ virtutis magnetem Crucis patibulo appensum, qvi occultâ qvadam sympathia ab Angelorum etiam mentibus secretâ stupendam vim in orbem dispergit. Qvam verò illam? Naturam humanam in limo profundi pondere peccati gravatam, attollit instar ferri gravissimi, in centro rerum caducarum venenata ac pestiferâ suavitate delibutarum absorptam, in fædissimo cupiditatum corporearum volutabro hærentem, qvasiq; clavis qvibusdam affixam, in sublimia, in rerum cœlestium amorem sublevat. O vim magnetis divini admirabilem virtuteq; præstantem, cujus occulta causa torqvet humanam sortem, Angelicum exercet ingenium. Ibi est lapis Videte trahens, Hic CHRISTUS JESUS è cruce, naturam ad se omniaq; alliciens, illinc occulta virtus transfunditur, hic recondita delectatio è vulneribus JESU in intimos naturæ recessus transmittitur. Ibi stupet annulus & velut latenti veneno

neno inficitur, hic natura in ſtuporem abripitur & dulcedine JESU latenter afficitur: rapitur ille ad magnetem & inviſis vinculis lapidi adhæreſcit, capitur natura a cœleſti illo magnete CHRISTO JESU, & pendens ab ejus cruce mirabiliter tenetur; ille ubi ſemel adhæreſcit, nunqvam ſuâ ſponte divellitur, natura ſemel paſſione morteque JESU capta nunqvam ad haſce fluxas res, ad haſce hilares pœnas, blandasq; animæ peſtes dilabitur. Hodie aureum ſane candelabrum ex ſolidiſſimo charitatis ac divinitatis auro compactum, in monte Calvariæ expoſitum conſpicit fortunatus homo, qvod non jam ſeptem ſed quinque luminaribus, quinq; nimirum rubeis & inſignib⁹ vulneribus inſignitum, ferream illam qvinqve millium annorum noctem discutit, ardentiſſimis votis naturæ expetitam lucem, poſt tantas calamitatum farragines, poſt tot inferorum terrores apportat: tam prolixam Originalis peccati ecclipſim dispellit, in qvâ æternitatem ipſam tranſigere ô deplorande tunc homo debuiſſes, niſi in mundi hujus Horizonte tam lucidum Candelabrum CHRISTUS nimirum JESUS exortum tibi & accenſum fuiſſet. Hodie torcular ſane Regium in monte Calvariæ conſtitutum eſſe, in illoq; cœleſtem Botrum CHRISTUM JESUM optimè expreſſum eſſe homo advertit, è qvo ſanguis ejus pretioſiſſimus (veluti Nilus è montibus

lunæ, in universam Ægyptum) è sublimibus illis & inaccessis divinitatis & humanitatis fastigiis, septem Spiritus S. favoribus, tanqvam septem nitidissimis Canalibus & Orificiis in Oceanum Ecclesiæ Orthodoxæ copiosissimè devolvitur. Hic Poëtæ vester est Ganges, hic ille Pactolus, qvem tot effertis præconiis, ejusq; aqvas & arenas aureas esse fabulamini, sed ut expulsis fabulis vera loqvar. *Hic est ille vastissimus ô homo purissimæ animæ fluvius*, qvem æterna Sapientia è Paradiso cœlesti in hortum Ecclesiæ traduxit, illumque uberrimè irrigavit. Hic est jucundissimus amoris Jesu fluvius, fluvius vitæ, fluvius benedictionis, diluvium gratiarum, qvod, si vel ipse Tullius ab inferis revocatus hunc suggestum occuparet, dicendo consequi non posset. Obstupescebas qvondam ô homo ad lugubrem illum Tragicumq; eventum, nempe dum aqvas diluvii totam terræ superficiem inundantes, dum qvadraginta diebus, continuò, cœlitus, imbres omnibus cœli cataractis reseratis cadentes lustrares. At hodie præsentis pignoris gloriâ jure meritò gestire, hodiè immenso exultare gaudio potes, dum novum hoc, & in Orbe nunqvam antea visum gratiarum diluvium è monte Calvariæ in Ecclesiam effluxisse experiris, è qvo innumerabiles ac aurei beneficiorum fortunæque rivi in te dimanarunt. Revoca tibi jam in memoriam natura è qvàm

tristis.

tristissimis casibus erepta es, & te vel ipsa etiam præteritæ calamitatis recordatio hodiè oblectet. Perpende accuratius venerabilia passi mortui Jesu munera, & illa seriâ æstimatione honora, religiosissimâ memoriâ consecra, & cum summa animi voluptate qvousq; rebus mortalium ades tene & conserva. Qvæ cum reverentius silentii velo jam involvuntur, qvam ingenii eloqviqve culpa prolixius deterrentur. Hisce jam verbis è pectoris penetrali ad te Servator noster & Redemptor emissi, sermonem obsigno. Dum ad imbecillem judicii mei lancem o Auctor & Restitutor vitæ nostræ, inæstimabilis tui favoris hodierni momenta pondero, *quod nempe mundissimam carnem ex carne Virginis purissimâ assumptâ patibulo crucis addixeris, quod morte mortem oppresseris, Orbemq; pereuntem servaveris.* Dum & alia innumera beneficia qvibus humanam naturam per crudelem passionem mortemque tuam ignominiosam locupletasti, intimis animi sensibus repono. Videris mihi munificentissime Jesu, tantâ largitate bonis omnibus naturam cumulasse, ut in ejus hanc magnam domum ipsissima solaq; felicitas è cœlo delapsa esse videatur. Qvid? videris mihi hodie vivis coloribus filium illum prodigum apud Lucam expressisse. Deserens enim olim pellucidas illas Patris Cœlestis ædes, in longinqvam hujus mundi regionem se-

ceſſiſti, in qvâ ſplendidè ſatis per triginta & tres annos vitam produxiſti, prodigè omnem tuam ſubſtantiam diſſipaſti, omnes propter nos gratias, qvid? omnia merita, qvid? totũ ſangvinem, qvid? vitam ipſam æternitate dignam prodegiſti, omnia miſericordiæ viſcera, in nos effudiſti, *fame in deſerto mundi preſſus, præſiti in Cruce aridus exclamaſti*, tandem inops & nudus proh dolor! exſpiraſti. *O verum paupertatis exceſſum! O virtutem præter philoſophiæ noſtræ captum in extremô conſiſtentem.* Decet jam ſanè tam inſignia CHRISTI JESU donaria ſummâ gratitudine complecti: Decet tam honorificam benignitatem inſignibus muneribus rependere. At ubi nam per Deum facultas remunerandi illam ſuppetit? dum & unica ſangvinis JESU pro nobis effuſi guttula, ampliſſima qvæq; regalia munera, terram, cœlum, omnemq; eorum ornatum ſuperat. Porrigamus tamen ſvadeo tale qvid Servatori noſtro qvod ad ejus divinam Majeſtatem propinqvius accedit, qvodq; ardentiori amore complectitur. Cor, nempe noſtrum, Cor à rebus fluxis, à mundi hujus vanitatibus abſtractum; Motor enim eſt inſtar Supremi Motoris in hoc microcoſmo à nemine motus. Qvid ergo Deo propius? Regulus qvidam eſt inſtar principalis & originalis cauſæ, parvo huic mundo Spirituum vitalium & animalium copiam præbens. Qvid ergò DEO

gratius?

gratius? Sume tibi itaque illud suavissime ejus amator, qvod nihil aliud in se complectitur, nisi vulnera, crucem, & mortem tuam, à Spiritu S. velut in exemplari depictam; nihil aliud in se continet, nisi ardentissima vota qvæ ad tuam Beneficam Majestatem deprimit, partim pro Celsissimis Principibus nostris *ingentibus ingenii pignoribus* beneficisq; Syderibus è cœlo populo delapsis, ut tardissimè patrio illi redonentur palatio: partim pro Amplissimis Prudentissimis hujusce Reipubl. Consulibus & Proceribus publicæ salutis depositoribus, ut diutissimè & felicissimè gubernacula Reipub. moderentur: partim pro totâ hac, cum Urbe, Megapoli, ut tam deplorandis pressa calamitatibus pristino illi & delicato splendori reddatur; partim pro hoc florentissimo Balthico Roseto, communi scientiarum Emporio, ut diutius gloriam literarum, seculi dignitatem propugnet: partim deniq; pro mœstissima Germania, *Regione quondam referta populis, Venerabili Principibus*, fidei gratiarumq; omnium antea sede, nunc lugubri bello proh dolor! prorsus collapsâ, ut tandem aliqvando, è tot ingentibus ærumnarum procellis in littus placidioris status emergat. Accipe jam talibus votis cor nostrum prægnans, O supreme animarum Mæcenas, O sautor & Promotor generis humani æternum observande; & in illo, O pacifice

Salomon, ut in delicatissimo lectulo pluſqvam sexaginta fortibus & fortissimis Israel, innumerabilibus nempè donorum supernaturalium favoribus stipato, in illo inqvam, cum tuis flagellis, cum spinis, clavis, cum cruce, cum tuis roseis vulneribus per totum hoc tempus ærumnosæ vitæ reqvieſce; donec ô perspicacissime scelerum indagator, non secus ac sol per vitreas feneſtras, omnia ejus arcana rimaberis, donec irrevocabile in nubibus de illo decretum pronunciabis, & ad te penitus assumes, ad nectar æternitatis degustandum in illo felicitatis theatro, in illis excelsis, inter divinorum applausus amorum, montibus Cœli, in qvibus adest jucunditas sine mærore, adest sapientia sine errore, adest dies sine nocte, adest vita sine morte, adest festivitas amplis illuminata gloriæ syderibus, cui ut in omnes seculorum duret myriadas, faces splendidissimas infinita succendit æternitas. Tibi jam M. D. Rector obligatus sum, qvod non inferius tua Amplitudine fueris arbitratus, actu huic nostro aures benevolas impartiri. Vobis qvoq; Amplissimi Consultissimi Consules & Senatores, Patriæ dignitatis Vindices, infinitum me debere fateor, qvod suspensis severioribus vestris cogitationibus, publicis utilitatibus dedicatis, hocce Auditorium venerabili conspectu illustrare volueritis, Simi. liter & Vobis R. A. E. C. D. Profeſſores, Doctores

res qvod ludum huncce literarium placidis vestris auribus exceperitis, debitorem me esse agnosco. Devincto & Vobis sum R. A. V. Dei Ministri, Clarissimi Phil: & Art: Magistri; ut & omnium Ordinum Hospites honoratissimi, qvod sermonem meum vultu vestro gravissimo, auribusq; benignis recreaveritis. Citius mihi vitam ipsam eripi optarem, qvam ut grata tanti mihi ab Omnibus Vobis exhibiti hodie favoris recordatio è scrinio pectoris mei eximatur. Vobis etiam lectissimi Adolescentes summas habeo & ago gratias, qvod usuram jucundissimæ expectationis meæ tam ingenti confluxu exemeritis, ac qvanti passionem & mortem, Jesuq; cœli favores ab illâ promanantes faciatis, partim hac freqventi, partim suavi concentu, & jucunda Simphonia ostenderitis. Solertem dabo operam ne parum grato ac memori hunc favorem & honorem exhibitum esse existimetis. Tu jam fervidis nostris refragari noli desideriis O nostræ salutis vindex. O Deus noster, qvi es cum Patre hujus fabricæ molitore magno, cum Spiritu fonte incendiorum almo Deus æternum.

DIXI.

SER-

Sermo III.

Laudatio funebris Generosi DN. WILHELMI à Calcheim/ dicti Lohausen/ &c.

Vide in Syllabo Sermonum.

DIvini illius licet animalis cœlo destinati; hominis nempe vitam, angustissimis circumscriptam esse cancellis, instar umbræ evanescere, in morem fumi dissipari, & non secus ac bullam dissolvi, si est qvi inficias ire audet, in funestas & lugubres Exeqvias hesternas oculos conjiciat, exhausto Viri supra trivialem mortalium sortem collocati, corpusculo consecratas. Qvod, æternitatis cupidissima mens, annos qvinquaginta tantum & sex, velut hospes angustam domunculam incolens, illud nuper, præter spem & desideria Urbis & Regionis deseruit, ereptusq; est è rebus hisce caducis delicium commune, dulce suorum decus, cui ut & de nostris annis Supremus ille Regalium Arbiter ætatem ampliasset, ex ipso pectoris penetrali exoptassemus, neq; tam subitam amissionem ejus, mœstissimi hujus conventus festivitas ploraſſet, animitus expertisſemus, si arcana illa fatorum series, suos cuiq; de-

ter-

terminans scopos, à flagrãtissimis nostris desideriis non dissensisset. Nec immerito sanè: novimus enim jam, qvam insigne decus amisimus, qvantumq; obitu tanti Viri perdidimus; munera prosperitatis (Osiniſtram ingenii luem) melius carendo, qvàm fruendo capientes, Virtutemque Eximiam Generosi LOHAUSENII *clarius, lumini nostro subtractam, qvam contubernio humano præsentem proh dolor! cernentes.* Verum *si aliqvis peregrinus & ignotus* Urbem hanc hodie squalore obtritam, vel hoc ipsum Augustissimum Auditorium, cujus luctum in ipsis subselliis legere possum ingrediatur, curiosèq; inqvirere præsumat; Qvi nam fuerit ille, ob qvem immodicis gemitibus & aperto ululatu, pectora Urbis hodie macerantur? Ego inter alios, Respondentis, publiciq; luctus interpretis officio fungi, dicereq; ex hoc suggestu cupio, Qvales nam fuerint & sint. Beatissimi illi Manes, qvos luctuoso officiorum funeralium genere honoravimus, memoriamque illorum in hoc Celeberrimo consessu recolimus. Vos jam generosæ & ingenuæ Animæ benignitatis vestræ ope, labanti sub tanto doloris & stuporis onere opitulemini; & dum seclusâ omni arrogantia & temeritate, ob solam pietatem, honestatem & observantiam illorum qvorum placitum pro lege æstimo; hanc dicendi interi lumina Orbis literati, Provinciam susscipio, il-

las

las placidissimas aures, qvæ mihi tanqvam benignitatis fontes in aliis publicis orationibus patebant, per hanc horulam referate, hocq; silentium vestrâ insigni prudentia & eruditione dignissimũ ad ipsum Epilogum conservate.

Non est opus Auditores Celeberrimi, ut longe petitis utar verborum ambagibus, non est necesse ut per anfractus publicum doloris interpretem agam; dum dolor cordis intensus rerum ipsarum saltem fastigia attingere jubet. Dum hodiernâ luce supremum reddidimus Generoso LOHAUSENIO funeris officium; Qvid aliud primò fecimus, qvam tres illustres ac preciosos annulos ad urnam tumuli, sic dispensante æqvissimo sortis humanæ œconomo, detulimus? Nonne ex tribus annulis conflatus erat LOHAUSENIUS noster, qvi ex gentilitio Generosi qvondã parentis HENRICI à *Kalhein/* alias *Lohausen* & *Lauffenberg* Symbolo, tres annulos ut videre licet intuenti, sumpserat; non aliam sanè ob causam nisi ut Aprico soli pateat florens & vetustissimâ ejus nobilitas, per annulum qvondam à Romanis, ut in Pierio Valeriano legimus, adumbrata. O qvam insignis erat? O quàm splendidus Nobilitatis LOHAUSIANÆ annulus, qvem celebrem humanæ felicitatis portionem, qvem eximium gloriæ laudisq; monumentum vulgi opinio autumat. Qvod si aliqvem dubietate discriminat. Excu-

ciat

tiat saltem natalitiam majorum ejus seriem, inveniet statim LOHAUSENII nostri annulum sive nobilitatem, è sublimioribus originis titulis principium accepisse, inveniet ex vetustis familiarum gradibus ad sempiternæ gloriæ fastigium evectum esse. Verum mihi è longinqvo illorum phalanges accersere non placet. Non proferam ad testimonium animo stellarum claritatem æmulantem Generosum Dn. LUDOLPHUM à Calcheln/ Avum paternum. Non adducam in medium glorioſimos ab Eufft à Raedt/ à Lauffenberg/ à Morshoffen/ à Stael à Melert Majores Paternoi. Præteribo venerando silentio, Matronarum selectissimum florem Wedderſteinianam, à domo Widderingen in Westerwaldt paternam aviam. Horrore sacro taciturnitatis supprimam sexus potioris venerabile opus, Virum ab Egern è domo Dießdung/ avum maternum. Non commemorabo memorabile fœminarum speculum qvoddam, ab Ingenhoffen è domo Budberg aviam maternam. Supersedebo lubens ab enumerandis à Bielsten à Mangelmonn à Douck à Bar ab Hilfeld ab Eyll majoribus maternis, qvi omnes famam, qvi decus qvi antiqvitatem annuli LOHAUSENIANI Orbi ipsi luculentissimè evulgant. Lateat qvidqvid generis est in illo nobilissimi, licet ab illo non parum gloriæ & generositatis in nostrũ LOHAUSENIUM transfundi.

funditur; lateat inqvam; & præclariori annulo nimirum virtuti cedat, cedat alienus proprio, cedat hæreditate partus rebus præclarè gestis comparato, qvo solo & unico sanctissimus Heros morti nuperrimæ præda factus, & in viscera terræ corporis exuvias heri recondens, relegata fortunæ ambitione seipsum æstimare consueverat. Nasci nobilem & illustrem fortunæ esse, bene vivere & gloriam mereri Virtutis, toties inqviens, atq; illum non magis magnum esse dicendum cui magnus Pater, affirmans, qvam si qvis magnum illum profiteatur, qvi in magno monte aut in humeris magni Gygantis consistit. *Concredidimus heri terræ ossa*, luctuosa morte funestata, non illius Præsidis Deiq; sapientiæ apud Lacedæmonios, verum illius Musarum ingenii & literarum Deastri apud totum literarium Orbem Apollinis. Nonne Apollo erat LOHAUSENIUS noster, qvi præter patriam dialectum, cujus suadam & hodiè Viri clarissimi in ore & pectore circumferunt, Gallicam qvoq; Italicam, Hispanicam, Latinam, non solum in amico colloqvio jucundissimè usurpavit, sed & multiplici charactere in æternæ laudis & artis pignoribus, cum usu publico communicavit, seculoq; tam insignia monumenta permansura deposuit, donec infimus hic telluris globus alet cultores honoris, sapientiæ, & eruditionis istius Apollinis. Testatur id ex lati-

no sermone in suavissimum germanicum versus Salustius, testatur ex Italico persecutus David nominatus, in idem idioma ad stuporem Rei literariæ luminum translatus Testantur & plura alia intra Vestræ penetralia ingenuâ custodiâ ab generosissimo sui despectore, neq; ex hoc mustaceo lauream aucupante asservata. Olim raræ laudis magnæq; molis opus esse ô veneranda antecessorum ætas censebas, si qvis utriusq; linguæ sermonem edoctus esset; O qvam defixa hæreres hodie, qvamq; stuperes attonita miraculo, si Apollinis nostri Rostochiensis Eximii L OHAUSENII tot linguarum solertiam lustrasses. Et si in Gerionem & Ennium Poëtam ob trium linguarum notitiam, tam prodiga fuisti, ut ipsis tria corda tribueris? Qvot jam per DEUM cordibus, qvot corporibus Apollinem nostrum locupletare deberes? qvi tot in Orbe idiomatum genera assiduitate laboris pervestigavit. O Eruditissimum Apollinem nostrum? qvid qvæso caput ejus aliud erat, qvam ipsissimum Doctrinæ sacrarium; qvam delubrum Eruditionis, qvam Emporium sapientiæ, cujus sedecimo jam ætatis anno in aula Celsissimi Principis Comitis DD. Palatini Bipontini, postmodum in Gallia, unâ cum filiis ejus junioribus Principibus feliciter incrementa sumere incipiebat. Utinam illum Viator qvi in fornicem tantum tumuli ejus oculos fero ad urbem veni-

veniens, figere potes; utinam illum inqvam iisdem usurpasses? Vidisses in Matheſi Archimedē. In hiſtoria Thucididem vel Saluſtium Geographiam & Chronologiam Hyſtoriæ duos oculos exactiſſime tenentem, unoq; qvaſi intuitu, vultum totius orbis ab origine, omnium Monarchiarum Rerumq; publicarum exordia, progreſſus, viciſſitudinem comprehendentem. Vidisses in Poëſi Homerum vel Virgilium, qvaſi ad ipſam Heliconis ripam natus & nutritus fuiſſet. Vidisses in Eloqventia Demoſthenem vel Tullium, qvaſi cœleſte Svadæ nectar in Germanorum aures latiſſimè diffuſum, qvâ miti qvodam dominatu in omnium pectora, nullis aliis machinis expugnabilia ſeſe inſinuabat; jucundiſſimaq; omnium tyrannide ſibi mancipabat. Conſolanda erant? Spargebatur in Nepentes. Compeſcenda? frenum erat. Sananda? panacea erat. Delienda? erat Sirenula, dicíq; non poteſt, qvot erant lenocinantis Apollinis noſtri LOHAUSENII nempe facundiæ, qvot mites præſtigiæ, qvot & qvam admirabiles effectus. Qvi jam proh dolor! in ſepulchro jacet; jacet eruditi Orbis ſplendor, jacet illa famaliterarum, jacet incredibile illud ingenium, tanqvam fax publica è cœlo delapſa, & in hanc Urbem noſtram demiſſa, jacet inexhauſta memoria, omnium rerum ac linguarū receptaculum, & profunda qvædam vorago; ja-

cet prudentiæ thesaurus, jacet antiqvitatum utriusq; gentis qvidam Delius Apollò, naturæ debitum cum luctu nostro persolvens. Ad qvem erubescite voluptatum aucupes, deliciarũ venatores, qvi in fortunæ gremio cũ risu sedentes, in fumosis malorum imaginibus, spretis doctrinæ sacris spes vestras fixistis, qvasi sufficeret sesqvipedali tantum tumere ventre, qvasi sufficeret absq; doctrina, gentilitio symbolo opibusq; ornari, qvasi deniq; sub formosis illis pellibus sæpenumero monstra non laterent? *Teximus humo* luce hodierna prolem bello clarissimam, teximꝰ fortissimum MARTIS alumnum, *in stando firmißimum* O utinam jam rebus mortalium adessent, qvi qvondã luctuoso illi in Ungariâ bellô præsentes fuere, publico sane elogio non rogati celebrarent illam infractam ac immotam indolem LOHAUSENII, qvæ à superbo & crudeli Turcâ triennium obsideri, totq; calamitates perpeti maluit Martis sane alumnus, qvàm per turpe & infame transfugium, contaminatum nomen ad posteros transmittere. Utinam & totus ille in Bello Juliaco sub Principis Serenissimi Marchionis Brandeburgici & Electoris legione militans exercitus, huic solenni loco sisti posset, Martis alumnum LOHAUSENIUM in *stando firmißimum* affirmaret, humilesq; sane fasces in terram usq; illi submitteret, velut suo tunc magnanimo Vexillifero, velut suæ tunc

legio,

legionis prudentissimo Legato. Martis alumnus erat, dum excelsa Signiferi mens, nihil aliud tunc nosset, nisi mortem per crudelissima vulnera paciſci, qvotiescunq; illud dulce mori, ſuccurrebat in armis; dum nihil aliud nisi pro Illustrissimo Electore Brandeburgico, pro Rege Serenisſimo ſanguinem ac vitam citius profundere, qvam fidem juratam violare exoptaret. In ſtando firmus erat Generoſus LOHAUSEN noſter, dum in acie prima, in qvâ ex ictu tormenti gravisſimo totum pedem dextrum amitteret, hiantiq; vulnere, ſanguine ubertim diffluente, mox animam efflaturus putaretur, dum inqvam ne latum qvidem unguem, qvaſi terræ affixus retro moveret, mortemq; crudelem, triumphalem honoris currum, qvia pro ſui Regis ſalute occumbere debebat reputaret. In ſtando firmus erat. Qvi ad omnia fortunæ ſpicula ita obduruerat nullumq; telum tam mortiferum reperiri poterat, qvod ejus conſtantiam vel minimum de ſtatu tranqvillitatis dimovere poſſet. Reverâ in ſtando firmus erat. Hoc mihi ſublimis Heros ex æternitatis ſepulchro teſtari videris, qvi cum Anno ſalutis 1629. numerum illorum Centeſimus Septuageſimus ſecundus in ordine augere debuiſſes; qvorum virtutes resq; geſtæ, ipſius immortalitatis ſtupori conſecrandæ ſunt, atq; in ſeram poſteritatem inſigni aliqvo Symbolo transfun-

dendæ, tu tibi tale & qvidem jure merito elegisti. Jussisti nempe arborem qvandam ex Brasilia, cujus ligno solidissimo tutissimè qvilibet inititur, depingi, cum hac inscriptione, Im Stande der Feste. In stando firmus, adjectis qvoqve hisce suavissimis versiculis.

Brasilgen Holtz ist fest/ vnd drauff sich zuverlassen/
Ich hab es mir erwehlt/ darauff mich auff der Strassen
Zu lehnen/ wann im gehn ich setze fort den Fuß/
Den ich alleine noch fort setzen kan vnd muß.
Nach diesem Holtz nun heiß ich der Feste im Stande/
Denn ich zum Dienst halt fest/ Gott vnd dem Vaterlande.
Den draus gemachten Spieß führt mein Hand in der Schlacht/
Der mich in diesen Stand mit Ehren hat gebracht.

Obruimus heri proh dolor! tumulo, ultimum de divortio animæ à corpore decretum subeuntem Salamandram, qvæ non modo in igne calamitatum extingvi non poterat, verum etiam inter ærumnarum incendia triumphabat, mentemq; serenam præclarissimis semper conatibus, qvasi ignem non pateretur, sed summas delibaret voluptates, devovebat. Ardebat hæc Salamandra in Arce Eperi, Turcicæ obsidionis per triennium igne. Ardebat Bockenheimiæ post illum atrocem ad Lutteram ob incolumitatem Serenissimi & Potentissimi Daniæ Norvegiæ Regis CHRISTIANI IV. felicissimè hodie in vivis degentis, conflictum; ardebat inqvam immensis captivitatis Cæsariæ per sesqviannum flammis, qvas tamen hæc Salamandra cœlestis LOHAUSENIUS,

NIUS, magno serenæ conscientiæ theatro contentus, patientissimè & hilariter devorabat. Et qvasi, ne ulla qvidem scintilla mentem ejus generosissimam adureret, Matheſi & Fortificatorio studio sese impendebat, qvasiq; in libertatis publicæ conclavi, non in tristi captivitate sedem hæc Salamandra fixisset, Salustium elegantissimè in Suadam Patriam vertit, ac plura alia insignia opera posteritati ad sempiternã memoriam tribuit; qvasi autem caternis aureis, placito JESU, suæ propriæ origini hæc Salamandra hæreret, nulla unqvam cladium incendia expavit. Nisi hic ignis mortis, illam in cineres & favillam, unà saltem ex crassiori parte redegisset; nisi de illa animi celsitudine in feralem indomitæ mortis potestatem, cum omnium gemitu redacta fuisset. De cujus qvondam dulci præsentiâ gratulabatur sibi cum tota Megapoli Rostochium, putans & Olympum, in diuturnos Salamandræ hujus annos conjurasse. Ast eheu! ut dolosa sors fatigat & vexat mortalium vices, qvam vario tenore humana manant! ad qvam horrendum mortis Rogum Salamandra hæc nuper allisit. In cujus tumulo exuvias ejus ad ultimam illam è prolixo mortis somno expergefactionem complectente, jure merito hoc distichon Regis cujusdam Francisci insculpere possum.

Ursus atrox, aqvilaque truces & tortilis angvis;
Cesserunt flammæ jam Salamandra tuæ.

Occlusimus in sepulchri lacu Leonem magnanimum. Qvi Leonem LOHAUSENIUM fuisse dubitat, nobilissima ejus Stemmata *qvod ego feci* accuratè perlustret. Leonem videbit ex paternis Majoribus à **Raedt** Leonem ex *Avia materna* ab **Ingenhoffen.** *Leonem & ex maternis majoribus* à **Bielsteln** *dictis. Et ne sola nobilitas* Leonem *fuisse* LOHAUSENIUM *imaginetur*; nobiliores qvoq; animi dotes, eximia illa veraq; mentis ornamenta, Leonem ab ipsis pene incunabilis perspicacissimum, Leonem somni parcissimum, Leonem vigilantissimum, Leonem dominatorem animalium non brutorum sed cœlestium, divinæq; in terris providentiæ qvoddam qvasi simulacrum repræsentantium. Testaris id Excelsissimè Elector Brandeburgice Johannes Sigismunde, qvi Leoni huic vigiles etiam noctes ducenti, regimen militum cum publico ejus laudis præconio commisisti, præclarasq; legationes, insigni ejus ingenii acumine, judiciiq; maturitate expeditas demandasti. Testaris Celsissime Princeps Bipontine, qvi Leoni huic industrio vixq; & ipsos percipienti somnos, supremi Cubicularii dignitatem obtulisti, & inter plures laudabilem ad Illustrissimam Anthonetam Ducatq Guliacensis Ducissam tribuisti. Testamini id Sereniſſimi Silesiæ Principes

cipes

cipes & Ordines, qvi eum cum ſummo Sereniſſimi Electoris favore dimiſſum, ſupremum pedeſtris legionis legatum præpoſuiſtis. Teſtaris id Principis illuſtris inclyta progenies Johannes Georgi Marchio Brandeburgice, qvi Leonem hunc in excubiis continuis alacriter ſtantem præfectura tormentorum Generali inſigniiſti. Teſtaris id Comitum Sydus Illuſtriſſimum Günther Comes Oldenburgenſis & Delmenhorſtenſis admirande, qvi Leonem hunc velut Vigilem ſacrum, ſummum militiæ præfectum, velut alterum Scævolam conſiliantem, tuumq; decus obeuntem conſtituiſti. Qvid jam tu dices Danici & Norvegici Cœli Rex Inclyte CHRISTIANE QVARTE æternitatis theatrô ob ſublimes majeſtatis Regiæ virtutes collocande, Leonum talium ingadator ſolertiſſime? Tu ipſum Conſiliarium, tu Commiſſarium, tu Generalem Vigilarum præfectum creaſti. Qvid ad hæc dicis Invictiſſime per omnes mundi oras deprædicate Heros, Æterne Svecorum Rex, Sydus qvondam benigniſſimum Eccleſiæ delapſum GUSTAVE ADOLPHE? tu Leonem hunc famoſiſſimum auroram etiam excuſſo ſomno pervertentem in ſalutem publicam oculos defigentem, Conſiliarium bellicum, Supremæ militiæ pedeſtris præfectum *in VVismariâ bellicoſiſſimè expugnatâ poſuiſti.* Tu cum Regni Svetici ſtatu, fortiſſimis & celeberrimis Leonis

hujus gestis commotus, universarum in inferiori Saxonia copiarum, Supremum Commendantem ordinasti, non absq; munificentissimo Regiamq; Majestatem decente donario. Tu deniq; tu, in Leonis hujus sedulitatem, indefessas excubias, incolumitatem duarum Urbium Magdeburgi & Vismariæ (ut ita loqvar) projecisti; & in summis arduisq; negotiis, ad Romanæ Aqvilæ socias, ad jurata Monarchæ Summi Nomina, ad magnificas Imperii Romani Urbes ablegasti. Claudo tam illustrium & inclytorum testium agmen Vobis, Te nempe ô salutare, ô ingens pignus cœleste, huic Megapoli & Urbi, liberalitate summi Numinis donatum Celsissimè Princeps: teq; Amplissime Nobilissime Prudentissime Senatus libertatis patriæ Vindex acerrime. Nor ne Vos soli qvasi omnibus illis fortunatiores, Leonem hunc benignè & feliciter ad se allexistis? & ex urbe vestrâ cujus publicis utilitatibus sese totum præbebat, ante ipsam ultimam metam vitæ dimittere noluistis? nonne ipsum consiliante operâ, publica rerum moderari voluistis? nonne præsidii militaris in hac urbe Rostochio præfectum & Commendantem constituistis? Qvid jam hodierna luce molimini dum hunc Leonem oculos occlusisse, dum Vestris obseqviis, dum huic Urbi nuper renunciasse, dum cum publico luctu humatum esse videtis? Credo ingenua teneraque

pectora

pectora vestra, intimo ob Leonis fortissimi Nestoreâq; vita dignissimi abscessum, dolore confici. Qvem nisi terris cœlum invidisset, erat; de qvo gloriari bono jure potuissetis; nisi enim patrio illi solo receptus, rerum mortalium solicitudinem à se abdicasset, regna ipsa florentissima forsan publicâ de illo aleâ lusissent, sorteque ipsâ hunc Leonem insignem lucrari expetiissent. *Mandavimus terræ heri Lilium* qvondam niveum, nunc vero pestilenti sydere mortis afflatum, nunc ex hoc amæno mundi Roseto à Parcâ inplacabili evulsum. Lilium erat LOHAUSENIUS, si stemma nobilitatis inspicias, partim ex majoribus paternis à Morshöffen/ partim ex maternis ab Eyll possessum. Lilium erat si & virtutes ejus intimioribus animi reponas sensibus. Lilium albicomum, jucundissimo veluti subridens vultu, ob singularem illum animi candorem qvi ex illa pectoris ingenuitate in qvemlibet vestrum volut ex limpidissimâ qvadam scaturigine promanabat. Exulabat fraus teterrima, aterqve dolus, ab hoc blandissimo lilio, nihil unqvam fucatum, ac qvasi calamistris in illo inustum fuit. Vulpina simulatio vertens se in omne formarum genus, cum tam candido lilio divortium fecerat. Vos jam appello qvotqvot hoc liliũ hodie ad ipsum sepulchrum prosequti estis; qvis nam vestrum, vel minimo Circæi æstus nævo deformatum deprehendit

hendit? Conscientiam interroget qvisqve suam, & fateri cogetur supremam deberi Eminentissimo LOHAUSENIO masculæ simplicitatis niveique candoris laudem, ad qvam non tam institutus qvam naturâ factus & imbutus videbatur. O Lilium lilium, rarus hoc seculo hospes, divertens ad perqvam paucos, qvos æqvus amavit Jupiter. Adeste hic adeste vos, qvi de caudâ nocetis, qvi de postumo corporis, innocentem & improvidum verberatis, & ad lilii hujus nitorem confundamini. Adeste hic qvi inter binas rosas mille spinas, bina inter oscula, mille siccas, pro tenui mellis favo, plena fellis dolia, pro violâ unâ urticas mille, pro lilio uno carduos mille porrigitis, qvi pro rore saxa pluitis, qvi pro modico vino prodigiosa toxica propinatis. Adeste hic & ad lilium hujus Urbis qvondam, nunc vero Cœlestis illius Patriæ obstupescite. Lilium adhuc erat LOHAUSENIUS noster, ob augustissimam illam spem, in toto ejus pectore profundas radices agentem, qvæ, non erat illa lubrica vanaq; mortalium, frustraneo conatu magna expectans, & infausto eventu nostros obsignans conceptus; sed erat unica & certissima spes CHRISTUS JESUS, cui soli fidens insignis Heros, licet tot ærumnarum sæpe fluctibus prægravatus, imo licet jam jam occasurus perire non poterat. O qvot vicibus hostis multiplex in hunc jucundissimum lilii florem conjurave-

rave-

raverat; heroïca tamen ejus constantia totam, in illam indubitatam Salutis nostræ *spem*, fiduciam ponens, omnes inanes hujus mundi minas & terrores contemnebat O lilium blandissimum qvod spe JESU nimirum, virescens, de omnibus in orbe triumphabat malis. Qvo afflictius jacebat in terris eo erectius animo in cœlum efferebatur, & qvasi cladibus superior esset, ingenti semper pectore in *spem illam infallibilem* ferebatur. Sed, qvam nulla est voluptas per DEUM! adeo magna, cui mœror socius proximè non adstet. Nec totum qvadrigennium prosperitate florens hoc lilium lucem aspexerat, & ecce inexorabilis Clotho ex hoc Roseto illud defalcavit, in ferralem foveâ hodie cum gemitu grandi projecit, dulcissimum pectorum consortium funesto divortio disrupit, tamq; deplorando casu solicitâ formidine totam Megapolim percussit. *Sepelivimus* hodierna die nõ illum ex Æthiopiâ inanimatum, qvem Isidorus lib. 16. Orig. c. 13. mirabiliter in luce celari, mirabilius in tenebris prodi affirmat; Sed sepelivimus Guliacensem rationisq; compotem, magnum DEI simulacrum Chrysoprasium LOHAUSENIUM nostrum, qvi dum hac communi lucis usurâ frueretur, celabat se ipsum, præaltis humilitatis roboratus fundamentis, summos honores hic Divinus Chrysoprasius non tam hilariter, qvam gravatim sustinens, ut non honorem

rem qvem repudiare non valebat, sed onus potius gerere videretur. Celabat se ipsum & occultabat, dum plures excelsos dignitatis gradus modestissimè à sese dimoveret, plus sibi ditionum esse ajens, qvam per humanam imbecillitatem gubernare posset. O facinus magnum & memorabile Chrysopraſii cœlestis! *Expertus eras non* dubito *Chrysopraſie sanctissime, Res hasce humanas lunâ mutabiliores perpetuâ alterari inconstantis fortunæ rotâ, nihilq; in tota rerum naturâ tam firmum esse, in qvod malignitas fatorum non valeat.* Expertus eras Mortem in Coronis ipsis & triumphis ludos nobiscum facere, mortalesq; in ipso honorum limine insperatè abripere: O Chrysopraſium insignis sane indolis! cui nihil ad honoris tribunal & culmem supererat, nisi ut se melius orbi prodidisset, qvem modo hæc mortis obscuritas, adeo clarum & fulgentem reddidit, ut non jucundius micent stellæ, non serenius fulgeat lacteus ille circulus. Jam modo ab exeqviis Chrysopraſii nostri nomen in ora venit, Jam sepultus suo triumpho ex sepulchro clamat.

At mihi qvod vivo detraxerat invida turba
Hoc mihi cum duplici fœnore reddit Honos

Jam LOHAUSENIUS noster ad instar Chrysophraſii in Cœlesti illo pallatio sempiternâ gloriâ coruscat. Effugit jam & insigniter evadit Libitinæ

tinæ manus, memoria Virtutis ejus. Decus nominis LOHAUSENIANI immortale, qvoad illam saltem nobiliorem partem, licet hæc inferior, hospitium qvondam illustris animæ, qvæ terras omnes laude implevit, licet inquam nobis tumulo hodie imposita aculeum ingentis tristitiæ in mente defigat. *Reddidimus communi* nostræ terræ A.O.O.S. Vespertillionem. Hic forsan hæretis Viri insigni Eruditione, qvod Virum qvi inore est omnium, qvi nominis magnitudine orbē, qvi famâ vastam temporum profunditatem æqvavit; qvod inqvam illum, Vespertilionem appellem Acceptare benignissimè ingeni mei tenuitatem. Vespertilionem LOHAUSENIUM dixi qvoad stemma præclarum sexus fæminei decoris, CHRISTINÆ ab Egern, ex prosapiâ **Dießdung** oriundæ, in qvo hanc volucrem cernere potestis. Verum stemma gentilitium præbeat priores partes Virtuti. Video A.O.O.S. LOHAUSENIUM vespertilionem in hisce rebus caducis æmulatum esse. Stupent scrutatores Naturæ, inter hoc brutum genus humanitatem & benevolentiam summam reperiri, ut præ nimio qvasi amore, velut catenâ qvâdam invicem colligatum in longumque funem protractum toties videatur, Jam nos ad indolem LOHAUSENII convertamus gratiis ipsissimis amoriq; natam, qvæ se cuilibet ad omnia officiorum & humanitatis

tatis genera obstringebat. Ruerent elementa omnia, è vasta hac mundi machinâ, redirent citius in suum chaos, qvam amore & fide hic vespertilio velut concatenatus nobiscum non conflaret, Vos jam compello Viri A.N.C. qvi jucundissimas tot horas cum ipso, amorem ejus experti hilariter consumpsistis, nonne vobis adinstar vespertilionis, *in longū velut funem protractus esse videbatur, dum in vos omnes amorem illum candidum extenderet?* Qvi nec hodiernâ die *disrumpi morte potest; seqvitur enim æternam* virtutem æternus amor, pari æternitate redonandus. Defecatiorem paulo licet exilem ingenii modulum audite. Dum mulierem lactis ubertate fæcundam beneq; nutricantem à sacerdotibus Ægyptiis, per Vespertilionem, mamillas, humanis (ut Pierius Valerianus scribit) similes habentem, lacteq; pullos mulieris in modum uberibus admotis nutrientem, depictam fuisse in memoriam revoco, intrepide LOHAUSENIUM Vespertilionem fuisse affirmabo, qvi beneficiorum suorum lac, omnibus miseris liberaliter elargiebatur. Dicite vos Exules sqvalidi, dicite vos mœsti peregrini, & vos cum tristiori fortunâ conflictantes, qvoties lac svaviſſimum Vespertilionis hujus deguſtastis? qvi qvasi ex maternis uberibus conflatus, vel qvasi totus uber esset, ita se vestræ solitudini & orbitati clementem & præ-

sentem

sentem impendebat. Et si sors benignissimo huic Vespertilioni copiam lactis, facultatum, nempe denegasset, credo qvod benefica saltim animi ejus propensio trabeatis Romuli nepotibus nunqvam cessisset; matris dilectissimæ vestigia premens, qvæ (juxtà Chrisost. Serm. 2. in Esaia) qvoties lactenti puerulo largiter lactis fontem præbere non potest, mamillam tamen jucundè infantulo porrigit: O cladem jam mendicorum, ob hujus Vespertilionis amissionem incomparabilem. O jacturam exulum & afflictorum acerbam, eoq; acerbiorem, qvo rariores tales cernimus, qvi rationem recte dispensandi ignorant per consocia Jesu membra lac suæ liberalitatis, qvod pauciores conspicimus intelligentes summum thesaurum esse, mendicorum non oblivisci, nihilq; minus perire, qvam qvod tali loco fœnori reponitur. *Tumulo composuimus* heri Alcyonem præstantissimum, non illum qvem Plutarchus sapientissimum, divinumq; marinorum animal appellat, ob incredibilem & continuum qvendam amorem conjugalem, qvi gravem etjam annis consortem nunqvam destituit; Sed tumulavimus illum Alcyonem spiritu cælitus hausto afflatum, & impressam divinitatis imaginem in hoc mundi Oceano circumferentem, qvi cum hac modernâ Magdalenâ von Strahlendorff. Nobilis. ac Strenui Dn. Arend von Ste-

 ding/

bing/ relicta viduâ ab anno 1629 in hoc usq; tempus, amore ineffabili copiosissimum protraxit connubium. Tam suavis fuit sane amor, inter hosce Alcyjones duos, qvam inter conjuges unqvam reperiri potest. Nam & hæc videbat optime, qvam divinum adeptus esset virum. Et ille, qvam prudentem & commodissimam duxisset uxorem. *Optabat qvondam Anno præfato 10. Novemb. Ubrs illa Incluta Brema, ut horum Alcyonum pectora lectissima, qvæ ibi in conjugalē fidem & societatem solenniter conjuraverant*, diuturna forent. Clamabat & ipsum Rostochium, dum dulcissimos Alcyones adventantes, nidum construere apud se in foro cerneret:

Felices ter & amplius,
Qvos irrupta tenet copula, nec malis
Avulsos qverimonys.
Suprema citius solvet amor die.

Sed aversabatur diuturni fati malignitas, non contenta qvod speratos fructus denegaverit, qvod ipsum multi inter miserias, alii inter prosperitates reponunt. Hodie proh dolor! divortium fecit, inter hos clarissimos Alcyones. Virum conspicuum, qvem Nestorem utinam vidissemus, exemit rebus mortalium, conjugi charissimæ exemplari virtutum fæminearum, de latere avulsit animæ suæ dimidium. Qvæ in qvanto jam luctu, Orbata hoc Alcyone

degat,

degat, in hesternis funestis exeqviis videre poteratis, in qvibꝰ squalidus ille vultus, illæ lachrymæ innumeræ indicabant, qvasi fidem illam totam, amorem illum totum, semel Alcyoni defuncto exhibitum, in sepulchrum tumbamq; ejus projicere voluisset. Sed qvid plura loqvor? Non adsunt amplius verba Eximiis nostris virtutibus & facinoribus deprædicandis. Sile sile ineliqvate & infirme Orator; tamq; præclare facta, culpa ingenii, amplius deterrere non aude. Obseqvar lubens O. O. A. S. ideoq; ad sanctissimum ejus finem, meiq; sermonis exilis terminum festinanter pergam. Recondidimus ad extremum sub terra hodie, Arborem qvandam Perseam, corda in fructu (ut Pausanias refert,) linguas in foliis repræsentantem, qvasi ex cordibus & linguis compactam, Nili vero aqvis tantum gaudentem. Vel satius recondidimus typum ejus illustrissimum insigni pietate erga DEUM, LOHAUSENIUM nempe corde & lingua totum in divinas laudes effusissimum, torrente solo rerum cœlestium ebrium, solaq; Salvatoris sui contemplatione fœcundatum. Corde & lingua, DEI laudibus impendebat se Heros noster devotissimus, cum nullam diem elabi sineret, qvâ non flexis genibus officiales una cum militum cohortibus ante suas ædes pro publicis precibus ad Servatorem nostrum fundendis, in publicum forum convoçaret. Hoc

ipsa Urbs, hoc ipsum forum testatur, & qvod iste Heros illi valedixerit plorat; hærens in ancipiti, utrum amplius tam pium spectaculum lustrare debeat. Corde & lingua devinctus erat soli Redemptoris gloriæ, cum summo mane & vesperi ardentissimis precibus tam in lecto cum suâ consorte, qvam indutus cum tota etiam familia sacro codici, tam à se qvam à famulis prælecto, aliisque piis precationibus incumberet; emissis ex imo pectoris meditullio ad Supremum Numen, pro Verbi DEI Ministris, pro Imperatore Romano, pro omnibus Christianis Regibus, Electoribus, Principibus, & præcipue pro hujus Regionis Urbisq; Magistratu, erga qvem amorem morte ipsâ obsignare volebat. Nili limpidissimi aqvis divina hæc arbor delectabatur, dum in solum fluvium totius benedictionis absorberetur, nullumq; per totam vitam, cum hisce odoratissimis putoribus, cum hoc ceno mundissimo, cum his qvisqviliarum sordibus commercium haberet, & dū apparatissimis cœlestium rerum delibutus deliciis, in hac fragili corporis argilla Angelorum voluptates meditatus esset. Et præcipue dum jam ad extremam ex hoc mortalium horto eradicationem properaret, dum gravis & pernicialis morbus cum turba terribilium symptomatum eam invaderet, in cœlestem mox transferendam paradisum *Nili solum gaudebat aqvū.* At Cujus

Nili?

Nili? sanguinis JESU nostri preciosissimi, qvi velut Nilus è montibus lunæ in Ægyptum, septem Spiritus S. favoribus tanqvam splendidissimis canalibus in Oceanum Ecclesiæ diffunditur. Hoc diluvio gratiarũ irrigatus LOHAUSENIUS, summa animi alacritate præstolabatur novissimam illam luctam, qvæ prolem etiam Deorum de statu tranqvillitatis deturbare consuevit; hoc fluvio purissimo, cruore nimirum CHRISTI roseo emundatus, excipit etiam fatalem illum diem venientem fronte compositâ, abit ex hac vita, non ut ejectus sed dimissus; Illustris ille animus solutus corporis compedibus, adeptus liberum Cœlum in sempiternas illas Patris Cœlestis mansiones die 10. Januarii hoc 1640. anno, inter decimã & undecimam diei horam sese recipit, cum ingressus esset annum ætatis qvinqvagesimum sextum, nihil nobis præter lachrymas, præter æternam sui memoriam, præter concretum & mortale corpus relinqvens, qvod hodierno die Rostochium tumulo composuit, cuiq; tot erant sepulchra qvot hominum pectora; qvanqvam non sum usus verbo qvô debui; neq; enim ei ullum sepulchrum esse potest, cui certissima est immortalitas. Dolent jam illum omnes fato defunctum, similiaq; de ipso (qvæ qvondam de M. Antonio Imperatore antiqvitas) per Urbem spargunt. Amisit (clamantes) Illustrissimus Celsis-

simusq; Princeps, non modicum suæ Celsitudinis ornamentum, non exiguum sui Ducatus Amplissimi tutelarem. Amisit Megapolis defensorem. Amisit Respub: propugnatorem, amisit nobilitas fautorem, cives patronum, populus dominum. Amiserunt Musæ Varniades alterũ è Diis tutelaribus & Evergetem optimum. Amiserunt omnes *Virum incomparabilem, Exemplar virtutum, in qvo ceu speculo conjunctim vidistis, qvidqvid inter plures est distributum.* Sed *jam* LOHAUSENIUS ipse qvasi ægrè ferens tam publicum mærorem, & qvasi dolens qvod sanctissimi ejus Manes satius tam importuno inqvietentur luctu, placideq; somnum capere ad illam ultimam horam non possint, his vos ex sepulchro compellat verbis. Qvid est? cur tantopere pectora vestra intestinus torqvet dolor? LOHAUSENIUM forsan amisistis? minime, è deplorandâ servitute peccati, justis vindiciis assertus est *in* libertatem filiorum DEI. LOHAUSENIUS excessit è vivis? minime. Ex lugenti campo ad æviternam felicitatem, ex mortalitatis carcere ad veram vitam commigravit, trajecto periculoso pelago ad fidam stationem appulit. Punctulum istud omnesq; nugas, qvas in illo mortaliũ stultitia exercet reliqvit, jam de omni languore, calamitatibus, de fortunâ, de morte, imò & de te exanguis livor qvi omnia rodis, qvi alterius rebus

mar-

marcescis opimis, qvi egregios obtrectas actus, qvi fidem ipsam indubium vocas egregie triumphat. Nonne jam melior est sors mea qvem vestra? nonne felicior conditio miseri mortales, velut abjecti vermiculi in hisce propudiis reptantes. Cur ergo invidetis? O non invidemus insignis Heros, sed ex intimis animi recessibus, ablegato jam ignavo luctu, tibi exoptatissimum fortunarum confluxum gratulamur. Prosit jam tibi prosit illud æternitatis nectar, Proficiat cœlestis favoris ambrosia, qvam ore immortali in illo prosperitatis theatro degustas; Salve jam nobis, ave, & æternum donec tecum æternum conjungamur Vale. Tibi jam ô felicissima mens, tot sint laudes qvot ora gentium, tot diademata qvot comæ arborum, tot coronæ qvot igneæ syderum formæ, tot auro & margaritis contexti triumphi, qvot sunt oræ partesq; terrarum, & qvot sunt pompæ virtutum tuarum. Stet ipsa trophæorum moles magnificis insculpta literis, tua ipsius virtute, rebusq; præclarè gestis, feliciter exarata, amplis illuminata gloriæ syderibus, qvibus (ut in omnes seculorum myriades luceat) faces splendidissimas immensa succendat æternitas. Nos jam conjunctis manibus Sapientissimo rerum omnium moderatori supplicemus, ne plura tam insignia Regionis Urbisq; decora è cœtu viventium migrare permittat. Ut Serenissi-

mum Celsissimum Principem nostrum Dn. Dn. ADOLPHUM FRIDERICUM, unicum nostrũ Athlantem humeris suis hunc Megapolitanum Orbem sustinentem, in prolixissimos perducat annos, ut sub ejus auspicato diuturnoque imperio, placidam qvietamq; vitam transigamus. Ut A. P. C. hujus Urbis Consules, qvibus Supremus ille Magistratus salutem publicam commisit, ab omni seqviori fortunâ diu ad clavum sedentes Reip. vindicet. Ut ad ærumnabilem Urbis hujus totiusq; Megapolis faciem oculos clementiæ flectat. Ut afflictæ Germaniæ illam rerum altricem, pacem nimirum, aureæq; tranqvillitatis lucem, jubar candidæ concordiæ tribuat, qvâ nihil in rebus hisce caducis præstantius, nihil auditu jucundius, nihil voto delectabilius.

DIXI.

SER-

Sermo IV.

CALUMNIÆ IMAGO,

Quâ Apellis instar, casus meos in Orbe Lutherano quondam lusi.

SI ad solum candidum subtileq; judicium momenta rerum ponderare deberem, non immeritò dignum generosâ indole autumarem si putidissimam *Calumniam*, purâ conscientiâ adversus ejus sinisteritatem me involvendo, risu ulciscerer; nec absq; alicujus laudis aucupio agerem, si illius pravitatem vitæ meæ innocentiâ, constanti silentio, animosoq; despectu, ad usq; vitæ terminum vindicarem, ac velut canem oblatrantem, injuriam simulando præterirem, aheneo conscientiæ instructus muro, qvi omnes calumniarum impetus facilè retundit. Sed, qvandoqvidem, consilia nostra, præter conscientiam, ad famam etiam publicam dirigenda sunt, cujus patrocinium deserere, vitium esse cum impudentia & insaniâ conjunctum, (Plutarchus in Alcibiade inqvit) tam mei prodigus in Orbe Lutherano, tam saluti meæ infensus, esse nec possum nec debeo; ut illam obstinatâ mente velut rem vacuam libidini ac ambitioni *Calumniæ* ulterius gratificer. Qvocircâ illo jam conatū meum, non tam spontè

qvam Virorum Illustrium ac Clarorum, nominis Bodockeriani amatorum hortatu incitatus, inflectere cupio, ut jam in arenam descendat sordidissima adversaria, non ut de illâ triumphum referam (de Archimede enim victoriam canerem) nec ut à ferreo ejus ore pudorem exprimam (hoc enim τῶν ἀδυνάτων ἐρᾶν) sed ut cognoscat, qvam iniqvissimè malevolèq; fecerit, dum ingenium meum ex propriô ingenio vel semel æstimavit. Hodie illam DEO duce & auspice celebri ignominiâ, apud ipsos etiam Lutheranorum posteros duraturâ morte dignari, proscribere seculo infandum hoc caput, uti vindiciis secundum libertatem datis, effingereq; mores ejus, velut in tabulâ, ad cujus conspectum ipsa horreat, affecto. Qvod votum meum, ut eo faciliorem sortiatur eventum, tali eam imagine, in auribus vestris præclarissimis ulciscar, qvali ultus est ipsam, qvondam, *Apelles* in tabulâ; qvi dum absurdissimam *Antiphili Calumniam* conjurationis ipsum contrà Ptolomeum Regem insimulantem solâ innocentiâ patronâ profligasset, & de illâ in ignobilem servitutem redactâ triumphasset, qvasi cum turpi notâ ad seram posteritatem amandando, Pinxerat qvondam confidentem qvempiam auribus prælongis, (qvales ferè illæ Midæ feruntur) præditum, manum adventanti Calumniæ porrigentem; hunc circumdederat mulierculis duabus,

Igne-

Ignorantiâ nempè & *Suspicione*; tum præeuntem virum qvendam pallidum, in speciem impurum, acie oculorum minimè hebeti sontico morbo contabescenti simillimum, *Livorem* nimirum efformaverat; demum seqventem properam *Calumniam* eximiè comptam, vultu ipso & gestu corporis efferam rabiem æstuanti pectore conceptam præseferrentem, sinistrâ manu facem flammivomam tenentem, dextrâ adolescentem capillis prehensum, rapientem expresserat; qvi manus ad Superos tendens, immortalium Deorum fidem obtestabatur; Comites qvoq; Calumniæ, ipsam hortantes, instruentes, comentes, *Insidias* videlicet, ac *Fallaciam* posuerat, à qvarum tergo, lugubri habitu *Pœnitentia* pallens laceraq; capite in tergum deflexo, cum lachrymis & pudore, à longè venientem *Veritatem*, videns & excipiens expressa fuit. Adeste jam (animitùs obsecro) O. O. A. S. penicillo lingvæ hancce *Calumniam* depingenti, adeste auribus animisq; benevolis; cum & publicum Orbis Lutherani decus, exempliq; ratio flagitet, ne silentio & dissimulatione ingens innocentiæ meæ deformatio, & absq; hac picturâ enormis *Calumnia* præterea-tur. Tu verò fœdissima famæ decoctrix, æqvo fer si placet animo, modernam contumeliam, majorem in posterum habitura; qvæ tantam tibi licentiam tamq; impiam usurpasti: jam enim libe-

liberalis animus, ab originis ingenuæ decore arceri non potest, & ingentes literæ qvas fronti meæ applicare impudenter voluisti, vindictæ me satius admonent honestæ, non periculosæ clementiæ vel silentii.

Cum compertam exploratamq; habeam, singularem erga me Vestram benevolentiam, qvam adinstar *thesauri, amplissimiq; patrimonii extra solum patrium æstimo, cum penicillo* lingvæ *non utar ambagibus*, sed primo congressu *opus aggrediar*, & Principem Pictorum æmulatus, effigiem **Calumniæ** ordiar. *Ponens inprimis qvempiam prolixas aures Midæq; similes habentem, & manum Calumniæ à longè venienti præbentem*, At, qvisnam fuerit ille, scire statim expetitis? Credulitas est, vana & futilis, levis corde (ut Ecclesiastes 19.) salutis noverca, turpe rectæ mentis vitium; cui ità plerumq; imponit **Calumnia**, & qvidem adeò facilè, ut ægre à suâ sententiâ dimoveri possit. Qvod sagacius advertens, *Demosthenes* Commune munimentum bonum ac salutare omnibus dixit esse, non facilè credere. Nocivus sanè error; apud qvem **Calumnia** licet jejuna, vixq; absq; vulneris suspicione spiculum multoties nanciscitur, hæretq; in prælongis illis auribus, cui minor bonorum Virorum notitia, minorq; æstimatio. Apud hanc qvoq; temerariam **Credulitatem** subvertere innocentiam meam **Calumniæ**

Iumnia voluerat, Huic capitalem ac pernicioſam (ut audietis) de me opinionem, velut Oraculum, inculcare auſa fuerat, & ad exemplum Sabinorum, qvod expetierat, ſomniarat... Neminem alium unqvam præter hanc facillimam *Credulitatem Calumnia* acceſſerat, in ſpem adducta certam, repulſam ſe ignominioſam apud honeſtas gravesqve mentes, imò vix absq; ſupplicii metu paſſuram. Non ſe contulerat ad Titum Imperatorem; ab illo enim Urbis ſedibus ejecta fuiſſet. Non ſe receperat ad Aurelianum; ille enim ipſam æternæ contumeliæ, devoviſſet. Non ſalutarat Trajani limina, ab illo enim in navi maris & ſcopulorum periculo objecta, ſine remis velisq; naufragio infallibili expoſita fuiſſet. Non adierat Pium Antonium; apud illum enim, ſi non probaſſet, cervicem ferro carnificis tremebundam inflectere, ſi verò probaſſet, ſempiternas infamiæ notas ſubire debuiſſet. Ne paſſu qvidem proceſſerat ad aulam Veſpaſiani, ab illo enim publica tergo flagella excepiſſet, & turpiter cæſa, per Amphitheatri arenam ſpectandâ traducta fuiſſet. Ad ſolam tantum ſtolidam Midæ indolem, ad ſolam fatuam Credulitatem refugium fecerat, qvæ ipſi, portentum illud fataleq; dehoneſtamentum Cæſarum Tiberium æmulata, ſtatim prolixas aures & avidas, mox manus & præcordia reſerarat, vultumq; ſerenum & plauſibilem

lem

lem exhibuerat; qvem certè nunqvam nacta fuisset, nisi illam Credulitas oculis delibasset. *Velut enim Aqvilo* (inqvit Proverb. 25. v. 23. Salomon) *dissipat pluvias, ita facies tristis linguam detrahentem.* Et qvid aliud *Credulitas* rogatam, mœstamq; frontem *Calumniæ* exhibens egisset, qvam aures spinis sepiisset? ut sic, ab eis, vultu rigido deterrita retrahi potuisset: qvemadmodum homo furax, ab ingressu horti per sepem spinis consitum, punctionibus sentium perculsus arcetur. O utinam tam pium opus molita fuisses vesana *Credulitas*, sic & *Calumnia* lingvâ suâ virulentâ nomen meum non contaminare attentasset; & tu insigne obedientiæ specimen Spiritui S. per Ecclesiasticum res in hæc verba prorumpenti, edidisses. *Sepi aures tuas spinis, & linguam neqvam noli audire, & ori tuo facito ostia & serras.* Absolutâ paucis *Credulitate* jam penicillo lingvæ pergo ad circumstantes illi mulierculas, *Ignorantiam* & *Suspicionem*, Capitales veritatis inimicas, ex arce gravitatis & constantiæ, pectora etiam proh dolor! magnorum Virorum credulitate occupata, dejicientes. Qvem turpem comitatum, si *Credulitas* non habuisset, nunqvam sereno vultu, nunqvam facili manu benignisque auribus *Calumniam* dignata fuisset. Et ut prius *Ignorantiam* menti noxiam, tangam. Hæc sanè nisi Credulitatem occupasset, nunqvam Veritatem

tem in arcem animi ingredi parantem impedi-
visset, repulisset, extrusisset; nunqvam se assensu
spurcissimorum de me sparsorum mendaciorum
contaminasset, nisi pravis opinionibus veroque
contrariis nixa Credulitas (ut pulchrè Nigronis)
velut marina concha scopulosis saxis inhæsisset.
Veritas ipsissima fuerat, me qvondam omni stu-
dio, ad honestum, pro viribus, in Ecclesiâ Roma-
nâ aspirasse, neq; unqvam cohortem pœnitendo-
rum ejus incolarum auxisse. Veritas ipsissima
fuerat, me illas tum in Orbe Romano, tum in
Orbe Lutheranô disciplinas semper adamasse,
qvæ me hodie, ipsarum etiam Rerumpublicarum
obseqviis, Supremi Dei favore, idoneum reddere
possent. Eqvidem non adeò frontem perfricui,
ut palmam aliis præripere cogitem; tamen nihil
insolentius arrogare mihi autumo, si Veritatem
fuisse dixero, me tempus ætatis in illis saltim li-
teris & rebus consumsisse, unde præmia Virtutis
publica, ornamenta graduum, & dignitatum so-
lennia, tum in Romanô tum in Lutheranô cætu
absq; honore non nominanda, emanarunt. Sed
hanc Veritatem *in Credulitatis* mentem ingredi,
Ignorantia non permisit. Veritas fuerat, me ob
Augustanam Confessionem, Exilium, omni malô
gravius, dulci patrio solô, amicis, bonisq; omni-
bus derelictis, cum solâ tristi comite, egestate e-
legisse; qvod & hodie plures Viri Clarissimi ac

Exi-

Eximii Dantiſci, Regiomonti, Rigæ in Livoniâ, habitantes fatentur; Sed hanc Veritatem mentem *Credulitatis* petere cupientem, *Ignorantiæ* propulſavit. Veritas erat, me nihil in aliud, per hos totos annos intenſiùs in Auguſtanâ Eccleſiâ incubuiſſe, qvam ut, tum non ignobili vivendi genere, tum publicis actibus literariis, meum erga eam favorem & candorem teſtatus fuiſſem. At hanc etiam Veritatem, vitio mentis capta *Ignorantia* à Credulitate procul ablegavit. Conſpirans cum ſibi ſimili famulâ *Credulitatis*, *Suſpicione* perversâ, qvæ juxta Iſidorum lib. 3. de Summo Bono, facilius unius cujusq; vitia, qvàm virtutes intendit, nec qvid boni qvisq; geſſerit, agnoſcit; Sed qvid vel minimum mali egerit, curiosè perſcrutatur.

Iniqviſſima ſane *Suſpicio* in indolem benè natam ac educatam cadere minimè conſveta; minimam enim improbitatem ille ſuſpicatur, cujus animus ab improbitate liber ac purus eſt, inqvit Orat. 3. in Julian. Gregorius Nazianzenus. Hæc toties temeræ Credulitati impudentiſſimè inſtillare auſa fuerat, me nempe non ſincero animo cætum Lutheranum, & præcipuè Oras Livonicas acceſſiſſe. O inſignem, ſi non præclarorum at certè piorum meditamentorum, mercedem, qvæ ipſiſſimam ſemper genuinamq; candoris redoluerant indolem, qvaliaq; nullæ ſimulationes

tiones unqvam delineare possunt, sed sola simplex nuda q; sinceritas. Cum aliud veritatis ingenium, aliud simulationis doliq; figmentum, cordati Judices sciant, facilèq; sentiant.

Qvid solidum crepet, & picta tenteria lingvæ.

Sed potuisset ne dolus hæc præstare ut hic inter Vos, velut in Orbis terrarum limbo, extra patrium dulce solum per tot annos latitassem? Effecisset ne hæc impostura sola, ut per tàm prolixum tempus, ratem vitæ meæ ad extremæ egestatis scopulos, in qvibus nunqvam ante obhæsisset, ultrò detinuissem? Tantas ne vires Sycophantia sibi vendicasset, ut me tam diu ab ipsis Poloniæ Satrapis retraxisset, qvorum pulvinar qvondam honestâ semper erectâq; fronte salutaveram? Tantumne robur exerere valuisset simulatio, ut tam horribiles ac pestilentes ærumnarum ventos, adhuncce diem subiissem, qvi ita me & hodie curis exercitum premunt, ut qvo cursum dirigere debeam prorsus ignorem, vix aliqvem præstolando favonium, qvi pluviô Jove votorum vela impleret, vel mentem angustiarum procellis fluctuantem ad serenitatem revocaret. Cum tamen promeritum me fuisse evidentius Christiani favoris simulacrum, & qvidem ab illis qvibus semper Charitas cordi esse deberet, *ipsa* etiam Orbis Lutherani lumina non frustrà arbitrentur. Receperam enim me ad Vos (absque

 super-

supercilio loqvendo) non tales, qvales plerumq; ante me salutastis, nempè lucifugas, nè primis qvidem labris Literaturæ sacra degustantes, nihil præclari inter Vos agentes, Baccho & Veneri dies & noctes litantes, in pestiferas alias illecebras, fronte prostitutâ sese præcipitantes. Et sic postmodum turpi transfugio spes Vestras sublimes decollantes. *Receperam me ad Vos, cujus Vita adhuc ad Syrenum cantus, infamiæq; scopulos, Dei clementiâ non adhæsit. Qvi si ipsum Eruditionis fastigiũ* non attigi, illud interim me ad hãc diem cõseqvutum esse, donec seriora tribuat Deus, arbitror, ut non meritò me illotis manibus attrectasse ejus arcana dicere qvis possit; nisi sola abjecta sordidaque invidia, qvæ spes suas futiles ambitione merâ præcipitat, qvæ crudissima studia, ad forum, velut ad impudentiæ ludum propellit; palmam adepta, priusqvam è carcere insciticæ exierit. Qvid ergò amplius habuerat vana *Suspicio* præter fallacem ancipitemq; dubietatem? qvâ Credulitatem insanam velut librum contrariis inscriptum anticipatumque dogmatibus inqvinaverat, qvæ nec *Socrates* qvidem, si hujus lucis usuræ redonaretur, obliterare posset. Cur tam lubrica non spreverat auguria? Cur illa, qvæ soli mentis humanæ latebras abditosq; recessus permeanti explorata sunt scrutata fuerat? Cur corruptam oculorum aciem, non in-

qvalia

qvalia talia ingenii, animiq; ingenui monumenta, velut in publicos obsides, conjecerat? Cur in ambigvis mediocritatem ejus superantibus, supremo satius Arbitro rem non commiserat...? Cum...

Culpare in quoquam, quæ non sunt nota, malignũ est
Præsertim si quæ cognita sunt, bona sunt.

Et cum conducibilius sit, ut...

Linquantur secreta Deo, si quidquid opertum est
Inspicit, & nullis indiget indicibus.

Sed fecerat illa O.O.A.S. pro suâ dissolutâ libertate, fecerat pro effreni in temerariô judicio licentiâ, fecerat prô more illo turpissimô; qvô, per nubem siniſtræ opinionis, ut oculus per aqvam, res bonas falsissimo modo metitur, qvô, velut... impurissimus Scarabeus, plus putidissimis fætoribus, qvàm fragrantibus ungventis seſe oblectãs majorem voluptatem, ex pessimis incertis futuris, qvam ex optimis luculentissimis præsentibus percipit...

Penicillum lingvæ in pravâ *Suspicione* detinere diutius nolens, propero ultrò ad *Livorem, Calumniam* præcedentem, qvem cum Apelle..., velut virum pallidum, in speciem impurum, acie oculorum minimè hebeti, sontico morbo tabescenti, simillimum, non injuriâ adumbro. Qvem in ipso accessus mei ad Augustanam Confessionem auspicio expertus fueram. Dum enim pa-

trium ſolum deſerens, *Dantiſcum* primò, poſtmodum *Regiomontum* Urbes illas qvidem Inclutas, verùm ſpes meas complecti non valentes, dereliqviſſem, *Rigamq;* Livoniæ Metropolim, ſecuritatis & tranqvillitatis qvaſi majoris aſylum appuliſſem, expalluerat enormiter *Livor*, abjectiſſimam qvandam indolem, & ipſorum Lutheranorum effato, *ex dolis technisq; conflatam, nactus. Palluerat inqvam dum me Magnifici Ampliſſimiq; Senatus, ac fermè totius* Urbis propenſam benevolentiam & beneficentiam expertum eſſe vidiſſet. Et qvidni palluiſſet, ille erroneæ cæcitatis abyſſus, ille candidæ mentis infernus, ille contentionis ſtimulus, ille corruptionis aculeus? Qvid ni palluiſſet, tam noxiis agitatus motibus? qvi qvid aliud fuerant, qvam meæ qvietis hoſtes, qvam tentationis ſatellites, qvam proſperitatis recentis excubiæ? Palluerat adhuc magis, dum me *Amplißimus Senatus*, ut erectiori mente præclaris ſtudiis ac meditationibus incumberem, in apertiorem induſtriæ campum, in Provinciam publicæ Profeſſionis erexiſſet. O Deum immortalem! qvàm horrendum & exitialem pallorem tunc contagioſus ille *Livor*, poſtmodum tum Calumniarum Architectus, tum complex contraxerat? bona mea, qvid dico mea? Per optimi Dei bona, impii ſui martyrii faciens inſtrumenta, ſui ipſius carnifex, animum torqvens

pectus

pectus corrumpens. Qvid plura? sua sustinens (non dubito) sine fine supplicia, domesticum semper sentiens tortorem. Nonne impurus fuerat? dum velut fædissima Cantharis, velut vultur abjectus, actus honestos toties contaminare, divinasque dotes, (qvas in hoste etiam, religiosè observat indoles egregia) deformare ausus fuerat, saluberrima qvæq; ac laude non indigna prætervolando, ulceribus verò naturæ, vel minimis humanæ fragilitatis nævulis sese oblectando; qvos si qvis omnium nostrum in se diffiteri audet, arroganter mortalitatem dedignatur, moreque Cyclopum æqvat se Supremo DEO qvem unicum Divinus genius à talibus seqvestravit. At, nec oculorum acie acutâ *Livorem* destitutum cum Apelle delineavi, qvi in Spartam ab Ordine Amplissimo qvondam *Rigæ* oblatam, & in meacta sedulò inqvisiverat, odiosèq; candori & ingenuitati bellum indicens, perstrinxerat. Acerrimæ qvondam disceptationi, in confessu FRIDERICI Regis, hæc controversia subjecta fuerat. Qvid nam perspicaciorem & acutiorem conciliaret visum? medicis inter plurima tum fæniculi afflatum, tum vitrum proponentibus, *Sanazarius* (ut Antonius Panormitanus refert) invidiam acutissimum reddere oculum affirmavit. Et cunctis subridentibus. Numqvid invidia non majora & pleniora omnia cernere facit? subjecit.

Qvid verò oculis magis præsentaneum, qvàm ut ipsa aspiciendi vegetior vis comparetur? addidit, illaque Ovidii metra cum aliorum jucunditate, protulit.

Fertilior seges est, alienis semper in agris,
Vicinumque pecus grandius uber habet.

Similia ego de *Livore*, cujus lateri ex fraude, compacto adjunctus eram, proferre poteram; qvi opimiora & potiora mea qvam sua bona existimaverat, majoraq; qvam fuerant, instar conspicilli faciens, mirum in modum sese cruciaverat. Et *ut cum Apelle pingam*, velut sontico morbo conflictatus contabuerat. Cur enim non contabuisset? qvi felicitatem meam suum supplicium fecerat, qvi velut qvosdam pectori suo admoverat carnifices, qvi illum intestinis laceràssent cruciatibus, qvi cordis ejus secreta, unguli malevolentiæ pulsassent. O qvam lubenter (testor æternum Judicem) tam lethiferæ tabi medelam aliqvam tum favoris tum officiorum subministrassem. Sed frustra. Invidiæ enim vulnera abstrusa, nec remedium curæ medentis admittebant, qvæ se inter conscientiæ latebras, cæco dolore occluserant. O qvoties ipsò etiam facto submini straveram, sed tam deplorandæ infelicis possessoris tabi mederi nullatenus potueram, qvæ ad obsequium, in feræ agrestis indolem degenerabat, canibus ipsis deterior, qvi (ut Basilius

lius ſerm: de invidiâ inqvit) citius nutricatione cicurantur, cultuq; manſveſcunt. Nihilominus forſan receſſus & abitus meus aliqvid ei de virulentâ tabe detraxit ? Minimè.

Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos regit artus.

ille *Livor* peſſimus lue tabificâ confici debet, qvi ſeipſum nunqvam ſubterfugere & evitare valet, qvi qvocunqve locorum ſe contulerit ſemper ſuum adverſarium portat, ſuum hoſtem in pectore fovet, ſuam perniciem intus alit ; qvi ineluctabili catenarum nexu ligatus, nulla in hiſce rebus caducis ſolatia præſtolabitur, cum mœrore noviſſimum illud tempus ætatis, illumque decretorium diem, de ſummâ vitæ ſententiam ferentem reformidans. Ego verò lubenti & ſpontaneo devitavi ipſum divortio, jam in ſecuro hocce Balthico littore ab ipſo ſegregatus, inſiſto, illius malignitatem liberrimâ exprobratione promulgo. Et ſi me jam alius *Livor* in hiſce locis invaderet, nullâ unqvam viâ, niſi miſerrimus Therſites, illi ſimilis fieri vellem, declinarem. Flerem citius, cum Themiſtocle adoleſcente, ſi ipſum in meis conatibus ad laudem Dei, & Reipub: literariæ honorem directis non adverterem. Imò, furioſorum & amentium domum prius mihi eligerem, qvàm ad abjectas liventis Deæ preces decurrerem, qvàm vel in animum inducerem placare *pallidam* iſtam impuram acutam

tabidamq; luem virtute relictâ. Sed assiduitate potius & vigilantiâ perficerem, ut vel ægra ex dolore contabescat, vel ultrò vanarum irarum desinat. Et si frustra hæc mihi imaginarer, secederem & hinc, irem & per Orbem à me ipso legatus, irem induens frontem Stoicam; & si Rex est, qvi rectè, *Livorem* spernendo, pro viribus facit, Regem me esse (salvo ad evitandum seculi ludibrium majestatis suspectu) Regem me esse, Persarum Rege opulentiorem opinarer, *Livorem* abjectum adeò non expavescerem; ut potius, eum mihi laudi ducerem fore, postqvam refrigerato ardore, facinus suum recto oculo intueri, veroq; tandem modo magnitudinem flagitii metiri inciperet. Nunc, nunc ipsius *Calumniæ* effigiem auspicari placet, nunc illud Draconis alicujus sceleton, & exsiccatum cadaver, illam lamiam omni diritate teterrimam, eximiè comptam, vultu gestuq; corporis efferam rabiem, iram æstuanti pectore conceptam præseferentem, sinistrâ facem flammivomam tenentem, dextrâ adolescentem capillis prehensum, Deorum fidem implorantem pingere lubet. Qvis comptam calumniam negabit, si frontispicium ejus inspiciet; qvod devotum qvidem polliceri videtur animum, sed fronte tenus, cum in ipsô satis versutam occultat artem, qvâ ut eò insidiosius noceat, ipsissima mendacia qvodam apparentiæ

rentis veri colore, obvolvit, plausibilioríque Virtutis prætextu, simplicioribus fucum facit: velut venenum vinô mixtum, qvod pernicius pernicioſiusq; in ruinam ſanitatis graſſari conſvevit. Hunc dolum & calliditatem, hunc comptum ſimulatè vultum Calumniæ, re ipsâ qvondam *Rigæ Livonum* perſenſeram. Cui nunqvam tam gravem noxam inflixiſſet, niſi fucatam ac ſubdolè exornatam faciem exhibuiſſet, neq; rerum omnium validiſſimam Veritatem preſſiſſet, niſi falſis ad inducendum & perſvadendum coloribus exornata fuiſſet. At qvibus tandem? Iisdem fermè qvos ſuper Cant. ſerm. 24. melliſluus *Bernardus* recenſet. *Alta nimirum præmittens ſuſpiria, ficq; cum quadam gravitate vultu mæſto, demiſſis ſupercilijs, voceque quaſi plangenti maledictionem eructans, ſolâ quaſi conſcientiâ freta, ſolo quaſi compaſſionis æſtro percita, utilitatis publicæ prætextu exſtimulata, ita ſe rem habere effutiens.* Qvid ſe ita habet Veſpillonis progenies? qvid ita ſe habet plagiaria? qvid crucis candidata? qvid eſca patibuli? Tacebo plura O. O. A. S. qvæ (propter vilitatem illorum) ſtoico ſtomacho concoqvere placuit. Silebo alia non adeo pernicioſa ſpicula, qvæ nec innocentiam *Bodockeri* ſubruere, nec famam denigrare, nec indignationem bonorum mereri potuerant. Illa tantum, qvæ in dedecus ac perniciem ante partæ inter Lutheranos famæ,

in diminutionem amoris vergere visa erant; imò qvæ sangvinis effusionem, (prô qvo mundi ipse Redemptor suum sangvinem effudit) minata fuerant; illa inqvam horrori silentii amandare non possum. Ex qvibus efferam *Calumniæ* rabiem, ardorem aperti discriminis mei & interitus inextingvibilem intelligetis; qvô succensa ac velut pestilenti igne correpta, in bona animæ & corporis, qvasi in vacuam hæreditatem impetum fecerat. Ex qvibus denique agnoscetis, qvod me, capillis prehensum, implorantemque summi Judicis opem, crudeliter rapuerit. Nonnè crudeliter rapuerat? dum me per qvendam infamem contextum horrendis mendaciis scatentem exploratorem Religionis Lutheranæ, ab ipso summo Pontifice Romano URBANO VIII. emissum criminata fuerat. Cum ipsis *Dantiscanis, Regiomontanis, Rigensibus*, compertus fuerit meus Augustano cætui sese associandi animus, neq; solo calamo in Publicis testimoniis, sed & sigillis ipsis ad clariorem ac certiorem notitiam perductus. O DEUM immortalem! qvis unqvam animo augurari poterat, ut præ demerendi studio, tantam *Calumniæ* rabiem, ab illis ipsis qvorum Confessionem sum amplexus, & pro mercede generosæ voluntatis tam pestiferum virus ejus perpessus fuissem. Nonne crudelius rapuerat? dum me ad extraditionem Urbis Rigensis ab

Augu-

Auguſtiſſimo ac Glorioſiſſimo Rege Poloniæ, feliciſſimè ac pacificè ad gubernacula Regni florentiſſimi ſedente, ablegatum eſſe, bipedum nequiſſima ſparſerat. O omni colluvione ſcelerum ac flagitiorum execrabilis Calumnia, qvæ non autumas probari poſſe tui ſeqvacibus, te eſſe omni pudore dirutam, ac juratam virtutis & honeſtatis hoſtem, niſi Aſſertorem Regiæ dignitatis, Depoſitorem publicæ ſalutis, delicias, & amorem Populi, ingens Regni Celeberrimi pignus mendaciis laceſſas? ego ne ab illo Magno & Pacifico VLADISLAO IV. ad tale facinus ablegari debueram; cujus Heroica mens, Juſtitiæ cultus, Omnium Virtutum ſvaviſſimus concentus in poſteros propagabitur, de illoq; ad miraculum Hiſtoria loqvetur. Qvid tandem ego tam crudeliter à *Calumniâ* correptus? æmulatus in picturâ Apellis, adoleſcentem, implorave-ram & obteſtatus fueram non plurium Deorum, ſed Cœleſtis Judicis vindictam, ut crudeli *Calumniæ*, *Nemeſin* ſangvineô armatam flagello immitteret, ut ſi in Cœlo DEUS eſt & inſpector rerum caducarum gravi exitu afficeret cervicem ejus, qvæ tam cruentis & exitialibus rumoribus famam meam proſciderat. Et exſtimulatus verbis *Auguſtini* Crudelem illum (lib. Confeſſion.) ſuæq; famæ imprudenter injurium, ajentis, qvi conſcientiæ ſoli confidens, deſpicatui illam ducit;

Implo-

Imploraveram terrestres etiam iniqvissimæ *Calumniæ* moderatores, legum & judiciorum administros, tutores & præsides tranqvillitatis publicæ, qvos Poetæ Jove ipso prognatos, Deorum sobolem nuncupare consveverant. Imploraveram inqvam, ut si tantum scelus vel mente conceptum à *Bodocko* fuisset, vitæ infami amissione, cruoreq; ipso illud abluisset, ejus uberiori effusione infandum illud *Calumniæ* caput, illud funestum & importunum animal recreasset; ne pili qvidem vitâ caducâ æstimatâ, qvæ pari passu cum famâ ambulat. Sed Eximii justitiæ Cultores & Sacerdotes Amplissimi ac Prudentissimi Senatores *Rigenses*, non ad nutum & arbitrium lymphato furore, in meam perniciem conjurantis *Calumniæ*, verùm ad placitum ac necessitatem sui tunc clientis, rem judicantes, clariusque Sole meridiano innocentiam cernentes, sublevaverant, subito velut meris fraudibus & technis caducum parietem, qvasiq; Orco infernali fulminatum; & ad extremum, finitâ justissimâ litе qvam cum Calumniâ spontaneo generosoque animo, coram ipso Senatorio Ordine auspicatus fueram, publico & solemni Decretô innocentissimum declararunt, qvod ego ad extremam vitæ metam circumferam per Orbem; fanaticam autem *Calumniam* comitia de capite nominis mei celebrantem turpi ignominiâ mulctarunt. Qvæ

sitam

si tam tristem & ærumnosum eventum prius prævidisset, altum credo stertere, aut cucurbitas pingere, qvàm tam perverso conatu horribiles nugas agere maluisset. Crudeliter sane me capillis prehensum *Calumnia* tenuerat; neq; adhuc aliqvid de suâ rabie, de gorgoneô illô furore detrahere, nondum malignitatis æstum expectorare, nondum facem illam flammivomam, ardorem perniciei meæ intensum extingvere voluerat. Dum etenim Victoriam honestam, de ipsâ, per Processum ac strepitum Juridicum reportassem, tum verò metu futurarum ejus insidiarum perculsus, tum ad latiorem Virtutis Honorisque Campum in Oras Germaniæ, à Supernorum fatorum clementiâ evocatus; Spartam Publicam, in qvâ me blandissima Fautorum conspiratio collocaverat, resignassem, ac cum publico Vitæ honestæ testimonio ac amicâ dimissione *Dantiscum* rectâ, velut ad primum ultimumq; innocentiæ asylum rediissem, enormius adhuc, & (qvod deplorandum magis) absentis, Dantisci jam præsentis capillos scelestissima corripuerat, dum me tumultus alicujus in Livoniâ, per qvandam lucifugarum cohortem excitati autorem fuisse, & fœdifragorum, vinculum illud pacis sanctissimum religioso viginti & aliqvot annorum fœdere, à duobus florentissimis Poloniæ Sveciæq; Regnis stabilitum, rumpentium, incitatu *Regis* Sereniss.

nissimi, copias duxisse, impiè affirmasset. O intemperans. O effrenata *Calumnia*, qvæ Heroi etiam Augustissimo, Jageloniæ Dignitatis stirpi, cujus laudes & Virtutes perennitati omnium seculorum sunt consecratæ, tàm detestanda affricare ausa fuisti, qvorũ illud candidissimum niveumq; pectus Regium in æternum conscium esse neqvit. O *gorgoneum immane, ingens furiale, & post scelerum memoriam execrabile monstrũ, monstrum vulpinum, ex virulentiâ & astutiâ coctum.* Cum qvô utinam jam tandem inducias pacisci hic valerem. Utinam cum Themistocle in hac Rostochiensi Universitate artem oblivionis discerem, ut elaberetur ex memoriâ trucu. lentia infamis hujus monstri. Sed ubiq; forsan qvoad vixerimus, qvemlibet nostrum ad laudem publicam pleno cursu tendentem premet, dum bonos actus ex sincero affectu procedentes obtrectabit, qvos ipsa æmulari vel per improbitatem non vult, vel per ignaviam non potest; premet, dum ipsa simulatrix Verba tantum byssina, sparsa sesamo ac papavere dare sciens, dum ipsa parasita ultrò illa tolerans, qvæ nec Sarmentus nec vilis Galba Sanniones Cæsaris ad mensam Imperatoriam pertulissent; dum inqvam candorem convitiis iniqvis læsum in dubium vocabit; qvam tamen dotem in nobis sitam esse insensus etiam hostis agnoscere tenetur. Et si pellucentem materiam

teriam humano cordi natura tribuisset, (ut ille Momus, divinorum operum subsannator, expetebat) animitus hanc legem amplecteremur ut toto recessu & nostrarum cogitationum Calumniæq; arcana paterent. Cui ego inter alios, prementi, potius jam compatior qvàm irascor, ne luto manus inqvinem, aut voti compotem efficiam ignominiosæ gloriæ avidam exilem & imparem æmulam, si ipsi succensere digner; satius est, ut, dum & alios Viros ob Eximias dotes in summo precio habendos videam, qvos presserit vel premit calumnia; ut inqvam uberrimâ animi perfundar lætitiâ. Pressit Phocionem qvondam Virum ob innocentiam in tantum laudandum, in qvantum heroica Virtus, ad summum gloriæ fastigium eniti potest, & hunc, omnis humani diviniq; juris oblita, damnatum, mortiferam cicutæ potionem sumere coegit. Pressit Mariam Brabantinam Ludovici Ducis Bavariæ Uxorem, iniqvissimè adulterii accusatam, & à rebus humanis gladio carnificis divortium facere coegit. Pressit Aristidem justitiæ observatorem Religiosissimum, specimen illud continentiæ eximium, illumq; turpitèr patriæ valedicere jussit. Pressit singularis modestiæ ac frugalitatis virum Hermodorum Ephesii, illumq; è consortio communi ejecit, clamans (ut notat Cælius lib. 4. c. 25. antiqu. lect.) Nemo apud nos frugi

sit,

sit, nemo unus excellat, si excelluerit, abeat. Qvi nihilominus omnes, mortiferos ejus crudelesq; ictus exceperunt. Imo & Vos ipsos Viri Eximii, Honestissimi (novi benè) premit, in vestramque integerrimã vitam, in mores honestos, hæc scurrilis indoles, (cujus ne nomen qvidem absq; piaculo pronunciari debet) immaniter ruit; cujus vos tamen insultq, fastigio mentis suprà hanc funestã eminentes luem, pulchrè eluditis, tantumq; abest, ut vos premi ab illâ sentiatis, ut potiq nobilẽ veri honoris segetem metatis, vobisq; impendio placere debeatis, cum *Calumniæ* displicetis, illiusque Tyrannidem experimini, qvam nec ipsa Jovis proles, qvæ terras ab omni monstrorum genere vindicavit, prius evitare potuit, qvàm communi mortaliũ convictorio refignasset. Veniam date O.O. A.S. qvod se paulò prolixius penicillum lingvæ, in depingendo fœdissimo *Calumniæ* geniô occupaverit. Ideo enim fecit, ut Bestiaria illa famæ profanatrix sentiret se peti, nisi Elephantino aut potius Arcadici pecoris corio contegeretur. Huic jam pedisseqvas, jam comites, Insidias nempè & Fallaciam adjungo, & ad finem picturæ festinanter pergo. Sorores qvasi sunt, non multum à se si vultum spectes abludentes, & vix non eadem oris lineamenta habentes. Animum etiamsi respicias, Amazones esse, non alia abjecta fæminei sexus individua dixeris ani-

animoso & audaci pectore prędita, gladios qvoq; hastas, tormentaq; bellica tractantes. Sin verò in Opes oculos conjicias, ad nullam unqvam opulentitatem pertingere possunt, virtutis nihil possidentes scelera verò prodote numerantes. Qvæ inediam cum siti copularent, fameq; ipsa tabescerent, nisi tam abominandis obseqviis *Calumniam* informando, instruendo, & comendo, vitam sustentarent. O qvoties versipelles hæ, famulę *Calumniam* compserant? dum mihi inter binas rosas mille spinas, bina inter oscula, mille sicas, pro tenui mellis favo, plena fellis dolia, pro violâ unâ urticas mille, prô rore saxa pluisset; dum pro modico vino, prodiga toxica toties propinassent. Et ut ab Insidiis incipiam, qvoties illæ *Calumniam* instruxerant? qvoties compserant? dum per blandissimas ac dolosissimas traductiones, eò *Calumniam* direxerant ut desertus omni favore Virorum Clarorum, imò & qvondam ingenuitati nostræ addictorum viverem, & tandem tantis sollicitudinibus divexatus, nihil immortalitatem merens contemplarer, sed potius subitum consilium, (cogente ineluctabili necessitatis telo, qvod sublimes etiam mentes de statu internæ qvietis deturbat) seqvi compellerer, qvod ipsi *Fraudi*, tepefacto æstu, æviternum displiceret; sed nunqvam supremi *Numinis* benignitas voluit, ut de tam turpi eventu trium-

phum de innocente *Insidiæ* reportarent, qvibus, velut sordidissimo mancipio, vilissima & scurrilia, saltim *Calumniam* comendi, non verò famam Bodockerî, qvæ non obscura erit Deo auspice, posterogenitis, subvertendi obseqvia erant concessa. Qvid jam de fallaciâ proferam? nec illa munere eodem ignobili pigrè defuncta fuerat, qvæ semper fronte prætulerat amicum vultum, ut, dissimulatis inimicitiis majore autoritate in nomen meum incurrisset, palamq; laudando, percuniculos aqvam frigidam suffudisset. Et qvid ni *Calumniam Fallacia* pulchrè comsisset? qvæ

Lacteolam induta ovem sub vellere molli
Cruda per agninos exercet funera rictus.

Qvidni egregiè instruxisset? qvæ sub benevolo vultu sub humanis vocibus (ut & vos sæpe experimini) sub blandis osculis sub amplexibus urbanis, velut sub nodo sis stipitib⁹, pectus flagitiosissimum, velut pugionem abscondit. O utinam mecum execrabilis *Calumniæ* famula simpliciter, satius & apertè rem egisset, anteqvam Palladis olivam manu fraudulentâ prætendisset. Nunqvam enim mihi adeò metuenda fuisset; neque adeò vel ipse fremor & rugitus leonis spes meas, bonaq; infortuniò mactasset, qvam tuus gannitus flagitiosa Vulpes versutissimus. Proh Deum immortalem! jam *à tergo Insidiarum ac Fallaciæ lugubri habitu pallens, lacerag; pœnitentia subsequitur,*

qvitur, capite in tergum deflexo, cum lachrymâ ac pudore venientem Veritatem excipiens. At qvæ est tandem illa pœnitentia? sceleris conscia *Calumniæ* conscientia. O pœna crudelis, ô atrox dolor. O intolerabile tormentum. O qvam enormiter Conscientia Calumniæ pallet? Non enim tanto dolore (inqvit Chrysost. hom. 22. de neqvitiâ repulsâ) carceri mancipati, capitisq; damnationem præstolantes cruciantur, qvantis in animo suppliciis, improba *Calumniæ* conscientia torqvetur. Pallet, qvæ historiam qvandam calumniarum ante oculos suos videns expositâ, in ipso angustiarum, inter ipsas licet mundi gazas, absorbetur barathro; ipsa (ut cum Clarevallensi Bernardo loquar) testis, ipsa judex, ipsa tortor, ipsa carcer, ipsa accusans, ipsa judicans, ipsa damnans. Pallet lugubri laceroq; amictu incedens, qvam jam furiæ suæ satis ulciscuntur ita ut me ejus serio misereat, qvam (planè persuasum habeo) ab omnibus Diabolis fuisse obsessam & exagitatam, cum tam immania portenta parturivisset. Pallet obscenis sqvaloris sordibus deformata, qvæ, qvia famam meam tam fœdis & enormibus mendaciis vulneravit, infelicioris sortis speciem præseferet, qvàm qvi aliqvando nefariâ in Orbe proscriptione perierunt. Nam cum satius sit pati, qvam injuriam inferre; jam *Calumniæ* conscientia cruciatibus semper torqvebi-

tur, jam velut ardentibus furiarum tædis exagitabitur ſecumq́; circumferet, qvocunq́; iverit domeſticum tortorem. Adjicio, qvod proſcriptorum Manes miſericordiâ & honorificâ recordatione proſeqvimur, at ejus ſcelus omnis poſteritas abominabitur. *Pallet turpis & lacera*; qvæ crudelisſimè vapulat, vapulabitq́; exercitorẽ habens perverſam famæ alienæ avidam mentem, *præſentes ſentiens exulcerati cordis inteſtinos carnifices*, qvî ſurdô verbere diris angoribꝰ illam exagitant, qvi minutis ictibus ita cædunt, ut ſe mori intelligat. Et qvidni ſe mori intelligat? dum præter minutos hoſce ictus qvos vel ad ictũ oculi ſentit & ſentiet, *capite in tergum deflexo, cùm lachrimâ ac pudore Veritatem à procul venientem excipit.* Excipit illam nolens, qvæ opportunè ſatis, licet ſerò, adeſt, nec ullis unqvam machinis, ullo ve malevolorum ingenio aut arte ſubverti potuit. Præſens jam adeſt Calumniæ victrix, ſuis operibus ità pollens, ſuis copiis ita freta, ſuis præſidiis ità firma, ut nihil aut non admodùm, externa auxilia reqvirere videatur. Qvæ porrigit qvidem illi lubens Celeberrima, qvoad Viros tum ex *Magnif: Senatu tum ex Reverendo Miniſterio, abſq́; honore nõ nominandos Urbs Dantiſcana*, ingenueq́; teſtatur me Confeſſionis tantum Auguſtanæ prætextu Romanæ Eccleſiæ nuncium remiſiſſe. Et omnium talium qvæcunq́; *Calumnia* perfrictæ fron-

frontis confinxerat, immunem esse. Multum mihi temporis adesse deberet, si jam omnes ad clavum tum Reipubl. Ecclesiasticæ tum Politicæ sedentes, testes sanè Eximios omniq; exceptione majores, in medium adducere vellem; qvorum testimonia portabo mecum ad extremum vitæ momentum, sive à fortunâ in tristiorem statum detrusus, sive in hilariorem collocatus. In tantâ temporis angustiâ sufficit, multorum aliorum Virorum Amplissimorum, Reverendorum, Excellentissimorum nominibus silentio involutis qvorum favores ingentes beneficiaq; copiosa expertus non fuissem, si qua mente qvò proposito Augustanam Confessionem amplexus fueram ignorassent: sufficit inqvam Unum ex hisce & pro hisce huic Augustissimo Auditorio sistere, *Virũ nempe Nobilissimum, Prudentissimum* D. *Nicolaum* **von Bodeck** Reip. Dantiscanæ nunc Scabinum meritissimum, filium genuinum *Magni illius Viri* D. *Valentini* **võ Bodeck** Consulis Reip. Dantiscanæ Magnifici; cujus res gestas memorabiles, veluti olim prædicata Respub. florentissima vidit & obstupuit, ità hodienum dũ cælestium consortio convivit fama loqvitur nullo delebilis ævo. Qvi si in me fucum vel dolum talẽ qvalem fœdissima *Calumnia Rigensis* affingere mihi ausa fuerat, deprehendisset, nunqvam me tantis beneficiis ac favoribus mactasset; qvorum ut ipsum, cum omnibus

bus aliis Fautoribus æternum non tædeat, expli-
cabo me totum etsi inter lumina Orbis literati vix
ultimum, notaq; vel ipsis posteris gratitudine re-
pendam. Porrigit qvoq; *Veritati* suppetias alte-
ra non minus Celebris Urbs *Regiomontum*, qvæ
cum Inclutò illô Eruditionis Delubro fatetur a-
perto testimonio se in ardentibus habuisse votis,
(dum & genium & ingeniũ, divinas dotes explo-
rasset) ut in Sparta aliqvâ publicâ & honorificâ ad
Orbis literati decus decurrere felicius potuissem;
nisi fatorum inclementia ulteriores oras omnia
mecum cum Biante portans cum summorum
Virorum dolore accedere coactus fuissem, triste-
que spectaculum humanæ vicissitudinis præbens,
dulci non solum patriâ fortunisq; in ipsâ, sed &
vicinioribꝰ illi locis secedere compulsus fuissem.
Porrigit *veritati* subsidium & ipsa Livoniæ Me-
tropolis *Riga* qvæ me in sinum & gremium sui
patrocinii receperat, Provinciam publicæ Pro-
fessionis demandarat, à *Calumnia* profligatâ, in-
nocentiæ Patrona meæ, strenuè vindicaverat, &
ob malevolorum insidias ac technas ipsi honestè
resignantem, cum publico vitæ inculpatæ, neque
tam abominandæ *Calumniæ* reæ, testimonio,
qvod religiosè semper conservo, dimiserat. Por-
rigit non dubito hæc qvoq; Celeberrima Urbs
Rostochiensis cum hac florentissimâ Universitate,
in qvâ per hocce totum tempus tuitus sum Per-

sonam

ſonam ſi non alicujus dignationis, ſaltim talis indolis, in qvam nec ſuſpicio tam turpis *Calumniæ* cadere potuerat; in qvâ inglorio vitæ inertis mancipio florem ingenuæ libertatis (favore Dei mei) non deſtruxi. Et ſi curioſus Livor, actuum etiam honeſtorum obtrectator acerrimus, aliqva mentis ſanę deliqviola, magnis etiam Orbis luminibus communia deprehenderet (qvod non ſpero,) non ideò tamen *Veritati* opem externam præbere denegaret, cernens me à dotibus DEI non adeò deſertum, inter qvas, palmarium volo ut obtineat candor, qvod donum plagio non ſumſi, nec cuiqvam ulli niſi naturæ genio imputare debeo. Porrigunt deniqve ex cætu Romani Orbis incolarum plurimi, & non ſolum de tam horrendâ Calumniâ conqveruntur, qvodq; à caſtris illorum ad Caſtra Veſtra deflexerim, dolent, laudes inſuper tantas (qvanqvam illas in meam mediocritatem cadere non arbitror) tribuentes, ut ſummoperè obſtupeſcam exceſſum benevolentiæ illorum nunquam opinatæ aut expectatæ, cujus impulſu talia funditarunt. Non deſunt videtis *Veritati* externa opitulamina. Non deſunt à foris juvamina. Qvibus cum nihilominus non adeò indigeat, neq; ipſas avidè expetat; per ſe ipſam hodiè emergit; per ſe impuram Calumniam, multum temporis in occulto ultrò deliteſcens, manifeſtat; per ſe mendaciorum im-

probitate pressa resurgit. Jam se hodie conspectui Calumniæ, velut canis rabidi vitam & actus, qvos æmulari non potest oblatrantis, exhibens, Echinum æmulata, in pilam qvasi contra molossum grandem convolvitur, clamatq; intrepidè

Nil moror ictus
Integritas Veritasq; *suo munimine tuta*
Non patet aduersæ morsibus invidiæ.

Jam velut robusta *Salamandra*, inter *Calumniæ* incendia triumphat. Jam serenæ conscientiæ theatro contenta, flammas pestiferæ linguæ patientissimè & hilariter devorat. Cui meritò hoc distichon Franciſci qvondam Regio tumulo insculptum occinere possum:

Ursus atrox, aqvilaq; truces & tortilis anguis
Cesserunt flammæ jam Salamandra *tuæ.*

Jam stultam *Credulitatem* ludibrio excipit, qvæ *Ignorantiæ* & *Suspicionis* velut hamo inescata, ad solam nunc inconsiderantiæ excusationem *Non putaram* confugit; qvàm scopulo pejus, providâ sapientemq; diffidentiam indoles amplexa formidat. Jam *Ignorantiam* naso adunco excipit. Jam *Suspicionem* sannis objicit; qvæ eò *Credulitatem* redegerant, ut amissis rationis ac judicii gubernaculis, variis errorum fluctibus agitata fuerit, nullumq; veritatis portum attingere potuerit. Jam *Livorem*, virtutis comitem heroica pectora stimulantem non expaveſcit; *Livorem*, inqvam,

qvem

qvem rerum optimarum hostis Erynnis aliqva produxit, qvæ ut bellua immanis extinctorum etiam cineres & ossa invadit, rebusq; humanis exemptos ultra mortem persequitur, odii sui ibi finem ponens, ubi vitæ finem ipsa natura posuit. Jam audacter *Calumniam* inuerecundam pudoreq; dirutam prosternit, jam velut publicum innocentium parricidam è finibus naturæ pellendam corripit. Jam *Insidias* & *Fallaciam* in lucem apertam exponit, ut nullus ultra locus tergiversationibus ac dilationibus supersit. Jam vel ipsi sub flagello tortoris domestici, (sævius qvàm si culeo insueretur) vapulanti famæ *obtrectatrici*, seroq; nimis pœnitentiam agenti, compatitur. Hæc est pictura *Calumniæ*, qvam cum *Apelle* coronide adornans, manumq; de tabula ponens, summas tibi & immortales gratias reporto O æterne Arbiter, qvi suprà miserum mortalem, extrà solum patrium, negotium ad hanc horam curasti, nec me *Calumniæ* rabiosæ succumbere permisisti. Tam illustre tui favoris eximii documentum, Cœlesti tuæ patientiæ ac Benignitati in solidum acceptum refero, illoq; admonitus impensissimè, omni vigilantiâ enitar, ne curam hanc divinam, pro meâ salute ita excubantem, tanqvâ transfuga partium, segni socordia deserviſſe inveniar. Vos verò O. O. A. S. velut elegantioris notæ Judices & favorabiles rerum mearum æsti-

matores. Vos innocentiæ meæ Patronos imploro, benigno animo omnem opinionem siniſtram, qvæ non tam ſponte adhæſerat, qvam *Calumniæ* ſtratagematibus inculcata fuerat dimoventes, hancce imaginem accipite; & qvod forſan familiarius Vobis, qvam dignitatis ratio poſtulare videbatur, anguſtiarum mearum vulnera denudaverim, *talemq; penicillo linguæ hujuſce furciferæ indolem ediderim*, æquâ mente tolerate. Nunqvam enim ad iſta extrema neceſſariæ defenſionis ſubſidia prius confugeram, niſi poſtquam omnibus fruſtra conſumptis remediis, malo defatigata patientia nullum aliud incolumitatis aſylum reperiit, qvam ut vim vi, vel potius in tolerabilem Calumniæ ſævitiam adversâ virtute, per publicum hoc opus, propulſarem.

DIXI.

SER-

Sermo V.

In Laudem Eloquentiæ.

Quando habitus? Vide Syllabum Sermonum.

MAgnifice Dn. Rector, Ampliſſimi, Prudentiſſimi Dnn. Conſules & Senatores. Viri admodum Reverendi, Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Excellentiſſimi, Clariſſimi. Vos ad decus Eccleſiæ ac Reipublicæ nati ac educati Juvenes. Omnium Ordinum Auditores honoratiſſimi. Cum ingens aliqvando Alcibiadem verba ad plebem facturum corripuiſſet metus, illud fortitudinis ac omnis virtutis ſpecimen & Exemplar Socrates, tali ipſum alloqvio audaciæ redonare, calcarq; futuro ſermoni adjicere contendit. Exiſtimas ne (inqviens) ſpernendum eſſe ſutorem? Alcibiades annuit. An non Oenopolam? etiam annuit. Cenſes ne (addidit) fabrum lignarium deſpicatui ducendum eſſe? hac qvoq; vice affirmavit. At ex his conſtat (ait Socrates) Athenienſium populus, qvi tibi tantum incutit terrorem. Qvibus verbis refocillatus Alcibiades relegato procul pavore, ſermonem coram Plebe auſpicari cæpit. Tam fortunatum me, eoq; proſperitatis deveniſſe non invenio, qvi

Alci-

Alcibiade inferior, ex Illustri loco, in Augustissimo Virorum Clarissimorum consessu peroraturus, indicibili verecundia perfundor, timoreque justissimo percellor. Imò, eò calamitosiorem exindè me fateor, qvod, si etiam Socrates ab inferis revocatus, ante oculos meos sisteretur, non mihi (ad removendum e pectore metum) Sutores manifestaret. Qvem enim hic alium cerno? qvam splendidissima Orbis literati sydera, clarissimis ingenii sui monumentis, à barbarie, seculum vindicantia, subsidiumq; literis intermorientibus præbentia. Non mihi Oenopolas ostenderet, qvem enim hic alium intueor? qvam Amplissimos Libertatis Patriæ assertores, ac Experientissimos publicæ salutis depositores. Non fabros deniq; lignarios mihi demonstraret. Qvem enim alium conspicio? qvam florentissimam, bonarumq; artium studiis devotissimam Juventutem seminarium Ecclesiæ ac Reipub. Pectora generosa. Qvid igitur? ergò ne Sermonem propositum taciturnitatis honore supprimere, silentiiq; sacramento obsignare debeo? minime verò? partim enim recreat me mirum in modum, & ad loqvendum exstimulat Vultus Omnium vestrum serenissimus, index humanitatis vestræ, benevolentiæ testis, attentionis futuræ obses: partim æqvitas ac necessitas postulat, ut Supremi Numinis placito Illustrissimi ac Celsis-

simis

simi Principis ac Domini DN. ADOLPHI FRIDERICI, *Ducis Megapolitani, Principis vetustæ Gentis Henetæ, Administratoris & Comitis Suerinensis, Rostochii & Stargardiæ Dynastæ, Domini mei Clementissimi*, favore ac beneficio in hac Celeberrimâ Rosarum Academia *Publicâ Professioni Oratoriæ Spartâ* functurus, ut inqvam, paenitiora postmodum Deo ipso præside, ac Auspice Eloqventiæ penetralia ingressurus, paululum qvasi in frontispicio hodie subsistens, Eximiam dignitatem ejus, fructus uberrimos brevi Oratiunculâ complectar; decusq; ejus ac honestatem ab iniqvissimâ temerariorũ contemptorum Calumniâ vindicare exoptem premens vestigia Solertissimi Ulissis, qvi prius in primo limine exteriorem Aulæ Alcinoi Regis venustatem sagaci curiosoq; oculo usurpavit qvam interiora ac secretiora ejus pallatia (ut Homerus refert) intrasset. Date jam qvæso O.O. A. SS. facilem veniam sermoni in diserto, benevolentiæ vestræ favonio, placidæ attentionis Zephiro ad secundum portũ, Oratorem sin minus disertum, at certè Omnium Vestrum amantissimum promovete.

Dum in tam sublimis facultatis Eloqventiæ nimirum laudes excurrere satago, attonitum me qvasi retrahit, in summumq; stuporem abripit admirabilis origo ejus; Cujus non è rebus hisce caducis, non è lubricis mundanarum familiarũ gradi-

gradibus, non è fumosis majorum mortalium imaginibus, sed ex illo patrio solo, ex illo felicitatis theatro, è cœlestium mentium consortio, principium repetit; è qvò in hasce terrarum oras, velut ingens generis humani pignus ac depositum delapsa est, hominiq; in ipsissimas redacto angustias, à summo Regalium Arbitro communicata. Dum etenim (ut Aristides lepidissimâ fabellâ in Orat. 2. pro Rhetor. suavissimè recenset), homini inermi ac nudo mundi in colæ, mutæ etiam pecudes insultarent, ipseq; homo, brutorum more, cum omnibus Universi contubernalibus turpissimè tumultuaretur, Prometheus ille fabulosus, ærumnosâ sorte hominis tactus, ut ejus adeò afflictis rebus mederi posset, cœlum conscendit, summumq; illum Jovem compellavit. Qvem tanta humanæ cladis cepit commiseratio, ut visa fortunæ flagella qvibus homo vapulabat, non minus ejus excruciarent pectus, qvam si suis qvoq; rebus pessimè consultum cerneret. Ablegavit itaq; in hoc mortale solum sub comitatu Mercurij Eloqventiam, jubens ut ejus copiam faceret mortalibus, ne tamen instar theatralis nummi tam precioſus thesaurus promiscuè erogaretur omnibus, rigidissimo sanxit edicto, ut Heroica solum ac generosa ingenia, beneficentissimam parentem non novercam naturam sortita deligeret, qvibus has eximias facultatis opes dispen-

dispensaret. Veniens jam in terras, ex illo cœlesti beatorum domicitio Eloqventia, O metamorphosin jucundissimam! Cœpit ingeniosa venam miserorum tenere, intima præcordiorum meditullia delibare, mellitissima Oratione alloqvi solari, illuminare, admonere, animare, ad summum inculta hominum ingenia ita dedolare, ut prius turpes, hispidi, longa macie torridi, sub qvercu glandem ructantes, ad elegantiora paululũ defluerent, agros excolerent, Civitates construerent, urbes sepirent mœnibus, leges judicia jura describerent, (ut Cicero loqvitur) Et in unanimis sanctæq; societatis nexũ placidissimè conjurarent. Tabella hæc est O.O. A.A. S.S. originem ac dignitatem Eloqventiæ, miro celebrans elogio, qvæ licet vim veritatis in se perfectè non complectatur, ad instar tamen iridis refractum solem in nubibus exprimentis, verum repræsentat. Et ut seriò, dimissa fabellâ, ex ipsius veritatis theatro loqvar majoribusq; viribus agam. Jure merito Eloqventiam è supernis illis sedibus in hanc demissam esse terram dixerim; Jure merito ipsius cœli esse semen, & ex æterni luminis fonte delibatum radium per huncce Orbem effusum, affirmaverim. Qvid enim aliud (si propius cœlestes accessero, si intimius qvoddam cum illis mente commercium habuero) qvid inquam aliud cerno ? qvam Collegium qvoddam Oratorium in

qvô

qvô ſublimis hæc Eloqventiæ facultas ad clepſydram æternitatis exercetur. Qvæſi aliqvem dubietate diſcriminant, Flectat humiles ac piiſſimos mentis oculos, in qvantum modulus humanæ mediocritatis concedet, in Excellentiſſimam illam Præſtantiſſimāq; Divinam Naturam; nonne illam, qvanqvam Spiritus ſit puriſſimus, cum VERBO effigie & ſplendore Majeſtatis ſuæ ſæpiſſimè de rebus hanc Univerſi machinam ſpectantibus, conſilium iniiſſe qvaſi Oratorium; facundiſſimāq; Oratione, de totius Orbis fabricâ, nulla antegrediente materiâ creandâ, de Sole, Luna, Stellis, arboribus, plantis & floribus diſſeruiſſe videbit? Conjiciat eosdem religioſiſſimè in æternum æterni DEI filium CHRISTUM JESUM; nonne illū Oratorem eximium, interpretem paternæ mentis erga genus mortalium, ex arcano divinitatis conſilio prodiiſſe, ſaluberrimū decretū de pharmaco lethifero Serpentis aculeo adhibendo, nobis patefeciſſe, expoſuiſſe, ſuaviſſimoq; ſermone enarraſſe intuebitur? Qvem ad deplorandos parentes noſtros, in horribile delictum prolapſos, tam efficaciter in Paradiſo inſtituit, ut & ſolamen afflictis attulerit, & ex abyſſo deſperationis extraxerit, & priſtinæ vitæ ſalutisque ſpem ac poſſeſſionem reddiderit. Deſcendat jam & illos Beatiſſimos Spiritus Angelicos, inter cœleſtium concentus ac plauſus amorum

DEo

DEo ipso plenos; nonne tum seipsos invicem, tum & animos nostros, dulcissimis & arcanis alloqvi mentibus conspiciet? Imo, nonne cernet Orationem eos, Smaragdorum more corda nostra reficientem, argumentis acerrimis refertissimam, exqvisitissimis rationibus munitissimam instituere? ut hanc nempe Urbem mortalium, has nugarum & fraudum nundinas detestemur, ut adventitia bona, fortunæ missilia, qvæ vulgus attonitum stupet, casibus variis telisq; ærumnarum obnoxia, momento horulæ dominos transmutantia, in censum non referamus. Verum ut potius ad Beatitatem illam sempiternam, qvâ velut torrente voluptatis inebriantur, qvotqvot Curia Cœlestis æternitatis amplexu recipit, suspiremus, illamq; summis ac indefessis votis appetamus. At! nonne hæ sunt eloqventiæ partes? nonne hæc sunt Oratoriæ Artis ornamenta? Nonne hi sunt egregii virtutum administri & prodromi; affectus nempe graves & concitati, qvibus cum freqventissimè electi illi è nobilitate cœlesti legati, Supremæ Majestatis mandato, in has usque terras procedentes utantur, patet è cœlorum sedibus delapsam esse Eloqventiam; patet è divina facundia profectam, patet, mortalium cœtui, à bonorum omnium Auctore DEo communicatam. *Cujus indoles eximia, eò jam sublimitatis devenit, ut ac-*

ceſſionis humanæ vix capax eſſe æſtimetur; Non enim res viles aut ludicras in mundo aucupatur, inferiora ſeſe deſpicit omnia; Nobiliſſimam verò illam partem, ſpiritum ignemq; referentem, animum nempè humanum, occupat, mitiq; qvodam dominatu ſe in eum inſinuat, qvem nullæ aliæ machinæ potuiſſent expugnare. *Dux* qvidem ille eſt, *fateor, ac Imperator vitæ mortalium, rector generis humani, princeps facultatum, luce clarior, tempore rapidior, ſyderibus velocior.* *Non hic Empedoclis* ſangvinem, non Zenonis ignem, non Ariſtoxeni intentionem, non Pythagoræ numeros, non cœli particulam agnoſco: aliqvid eſt ſanè, aliqvid eſt ſangvine vividius, igne purius, intentione contentius, modulis numeroſius, cœlo deniq; ipſo majus & auguſtius. Qvid aliud eſt qvam vitæ ſpiraculum? qvam ſpecies omnipotentis vili luto impreſſa? ut facies Solis in nube, radius in Cryſtallo, Hyacinthus in cerâ. Videte qvanta animi dignitas! qvem tamen ſub ſua jura redigit, & obſtupefactum ſplendore ſui majeſtatis, qvibusdam velut habenis numeroſæ orationis dirigit Eloqventiâ. Sedet qvidem, fateor, animus & dominatur, in capite velut in arce collocatus, Nunc (ut cum Platone, in cujus ore mellificarunt apes, loqvar) cupiditatum gynecæa diſpenſat, nunc acrimoniæ Andronem regit, nunc deſideria, veluti volitantes prodromos emittit

mittit, nũc furiales irarum exercitus è castris educit, nunc serenâ luce circumseptus serenius coruscat, nunc variis affectuum turbinibus totus circumstrepit. O potentiam! O vim ineffabilem animi! Cujus tamen ubi Eloqventia intimiores peragrat sensus gratissimâ qvâdam omnium servitute sibi mancipat, trahit eum qvocunq; libet, & ita trahit, ut Magnetis vim ac potentiam meritò si non superare, certè adæqvare videatur. Si enim transfundit Magnes ingenia Speculatorum naturæ torqventem virtutem, transfundit Eloqventia voluptatem reconditam sortemq; mentis humanæ excedentem. Si obstupescit ad Magnetem annulus, velutq; latenti veneno afficitur, Obstupescit ad Eloqventiam Auditus, svavitateq; ejus occultâ corripitur. Si ille rapitur ad Magnetem, invisisq; compedibus lapidi adhæresçit, rapitur hic ad Eloqventiam, & ab ejus nectareo ore qvasi pendens mirabiliter tenetur. Si ille, ubi semel adhæserit, nunqvam suâ sponte divellitur, hic semel captus non nisi ineluctabili necessitatis telo urgente abstrahitur. O Deus bone, qvantum potestatis, qvantumq; juris in Animum, *insuperabili licet (juxta Senecam 80 Epist.) loco stantem* obtinet, qvidq; in illo dum in ipsum influit non operatur? Hisce recensendis nec vela Tullianæ Svadæ pandentis Oratio paresse potest. Inflammandus est? in ignem accendi-

cenditur. Pungendus? in ſtimulos acuitur. Illuſtrandus? in lucem funditur. Conſolandus? ſpargitur in Nepenthes. Compeſcendus? frenum eſt. Sanandus? panacæa eſt. Deliniendus? fit Sirenula. Dici non poteſt, qvot ſint lenocinantis facundiæ mites præſtigiæ, qvot & qvam admirabiles producat in animi Eloqventia effectus. Et qvidni produceret? Cujus habit9 cum Virgunculam; Venuſtas Nymphã, gravitas Heroinam, Majeſtas Reginam, Nobilitas Deam prodat. qvis animus ipſi favorem, qvis obſervantiam non offeret? Cui cum galeatus ſit vertex, caputq; regali divinitate redimitum, qvomodo in animum dominium & imperium ſibi non arrogabit? Qvæ cum in manibus arma fulmineâ coruſcatione nitentia gerat, qvomodo motum animi celerem licet ac plane igneum non infringet? qvomodo contumaciã ejus nõ contundet? Qvæ cum pectus exqviſitiſſimis gemmarum coloribus baltheatum præſeferat, qvomodo ad ſe animum tam inſigni ſtratagemate non pelliciet? Cujus oculi cum ſint aqvilina ſane perſpicacitate illuſtres, cujus animi intimiores receſſus non penetrabit? Cujus genæ, cum theſſalicis conſperſę ſint violis, qvisnam animus in ipſius caſtiſſimas Veneres generoſum honeſti amorem non diriget? Qvæ cum labia cœleſti nectare madefacta oſtentet, qvod pectus obſtinatum non perfringet? cujus duritiem licet

chaly-

chalybeam non emolliet? Jure merito sanè ille flos illibatus populi Romani potentem Eloqventiæ genium ad judicii lancem ponderando, Jure, inqvam, loqvitur. Nihil est tam incredibile, qvod eloqventiâ non fiat probabile, nihil tam horridum, tam incultum, qvod non splendescat vel excolatur Eloqventiâ. Qvæ si commiserationem in animo concitare satagit, concitat facilimè, si è corde propulsare expetit, propulsat citissimè, si animum qvocunq; flectere (ut qvasi incantare videatur) desiderat, flectit & incantat velocissimè, in nostrorum deniq; præcordiorum motionibus, velut fluctibus concitandis, qvidqvid conatur, in conatu est facilitas, qvidqvid operatur in opere est voluptas. Vultisne svavis Eloqventiæ potentiam? agnoscite in Aristide Smyrna Joniæ Civitatum pulcherrima sub M. Antonino terræ motu miserandum in modum collapsa prostrataq; jacebat; Eloqventissimus verò *Aristides* monodiam ad Imperatorem scripsit, ut ad deplorandæ Civitatis resarciendas ruinas invitaret. Ubi post descriptam Urbis antea florentis pulchritudinem, locum illum pertexuit: νῦν δὲ ζέφυροι ἐρήμην αὐτὴν κατέπνευσαν, Nunc autem desolatam perflant Zephyri, Antoninus imo de corde cruciabile suspirium ducens, lacrymisque dolorem testatus, mox Theodosio Asiæ Præfecto ut Smirnam pristinæ integritati re

redonaret mandavit. Exoptatis callidam & Heroum expugnatricem ? Magnus ille *Macedo* Lampsacenos, qvod Persis faverent, funditus evertere, soloq; ipsi æqvare voluit. Ablegatus interim ad illum jam in procinctu ferro furoreque incitatissimum disertissimus *Anaximenes* (magni illius Alexandri præceptor) ut culpam deprecaretur. Qvo cognito Rex intensâ irâ correptus cuncta adjurat numina se *Anaximenis* preces non magni ducturum. At incredibili divinoq; dicendi genere insignis Orator furentem juvenis animum subdolè mitigans ; Non veni (inqvit) Alexander, ut existimas, deprecator culpæ, sed auctor justitiæ. Iniqvè egerunt Lampsaceni, rei sunt Majestatis, supplex idcirco rogo, ut eorum uxores & liberos sub corona vendas, templa igne accendas, Urbem in plana submittas. Alexander, qvi se Eloqventiæ Anaximenis adversaturum per omnia dixerat, in merum risum progressus, veniam facilem præbet, seq; captum, ac velut ferocem eqvum Eloqventiæ habenis circumactum blandissimè confitetur. Exposcitis præstigiatricem ? Sapores homo imperiosus adituq; difficilis cum pro more legationis ad suum colloqvium, tum & ad Epulas Regias Eustathium admisisset, ubi inter pocula de honorum contemptu jucundissimè differentem Oratorem audivit, tantum fortunæ Regiæ ac Ornamentorum

fasti-

fastidium Saporem cepit, ut parum abfuerit, qvin Rex tiaram Regiam abjecerit, & cum purpureo paludamento gemmata monilia deposita cum Eustathii penulâ commutârit, nisi id affinitate conjuncti, Eloqventiam Eustathii meram, præstigiatricem clamitantes, prohibuissent. Desideratis adhuc rerum non absq; publici encomii præfatione nominandarum effectricem? Hac qvondam bella intulit Demosthenes. Hac Gracchus lachrymas inimicis injectu oculi excussit. Hâc Tullius Catilinam facile fregit, seditiosos ac turbulentos Clodii conatus repressit, Siciliam rapinis exhaustam, C. Verris crudelitate afflictam in pristinum restituit, Hac Sicariorum enses in suum jugulum districtos hebetavit Antonius:

Urbes capit Cyneas
Per medios ire satellites
Et perrumpere amat saxa
Potentius ictu fulmineo.

Hæc plures qvam arma urbes (ut Pyrrhus qvondam protulit) Imperiis adjecit, arces natura manuq; munitissimas uno verbulo aperuit, & ad spontaneam deditionem voce jucundâ coegit, ut elegantissimè Alciatus:

Cedunt arma togæ, & quævis durissima corda
Eloquio pollens ad sua vota trahit.

Hæc latrones ipsos à cæde *Scipionis* atroci olim abdu-

abduxit; Qvem virum (in cujus ore cecinerunt Luſciniæ, Svada ſeſſitavit) Qvem inqvam cum offendiſſent, tanqvam Deum ipſum repentè coluerunt, Poſtesq; Januæ ejus, velut religioſiſſimam aram ſanctumque templum venerati (ut Val. Max. l. 2.) *Scipionis* dexteram apprehenſam diu oſculati, poſitis ante veſtibulum donis Deorum immortalium nomini conſecrari ſolitis, lætiſſimi qvia *Scipionem* eloqventiſſimum vidiſſe, contigiſſet, *ad lares proprios redierunt.* Qvid *hoc fructu majeſtatis* Eloqventiæ excelſius? qvid etiam jucundius? hoſtis iram ſola ſui admiratione Eloqventia placavit, ſola ſuæ præſentiæ ſpectaculo latronum iniqvorum geſtientes oculos obſtupefecit. Delapſa ſanè ſydera cœlo, ſi ſe offerant, venerationis amplius non recipient. O incredibilem Eloqventiæ dignitatem, O ineffabilem potentiam! O fructus ſanè copioſiſſimos! Qvos dum ad accuratiorem rationis pondero lancem, Non miror canam antiqvitatem qvæ Deorum inventum Eloqventiam credidit, non *Græcos*, qvi Mercurio, qvem λόγε θεοφητὸν Orpheus nominat, non *Gallos* qvi ſuo Herculi Ogmio illam adſcripſerunt. Sublimis Eloqventiæ enim excellentia, ingensq; vis oculos illorum perſtrinxit: purum verò rationis lumen errorem deprehendere non potuit; in qvem & noſtra infirmitas facile labi potuiſſet; niſi illo cœleſti

irra-

irradiata lumine à Deo potius scientiarum fonte profectam esse Eloqventiam advertisset. Non miror totum terrarum Orbem, qvi primas olim detulit Eloqventiæ partes, & tanqvam aliqvod Numen cœlo terris communicatum honore ingenti coluit. Non miror præcellentissimos terrarum Principes, Non Sceptrigeros Monarchas, qvi honore Regio Eloqventiam dignam judicarunt, qvi totius dignitatis domicilium in illius gremio constitutum fuisse autumarunt, qvi palmas Imperatorum honoribus consecratas capiti ejus destinarunt, qvarum Martial:Epigr:27.lib:7. ad Fuscum meminit:

Sic fora mirentur, sic te palatia laudent.
Excolat & geminas plurima palma fores.

Non jam miror *Athenas*, qvæ uni *Demetrio Phalereo*, trecentas & sexaginta statuas erexerunt; Non populum Romanum, qvi *Proeresio* imaginem dedicavit, cum hac nobili inscriptione:

Regina rerum Roma Proeresi Regi Eloquentiæ.

Non obstupesco *Trajanum* Imperatorem, qvi *Dionem* in currum aureum, in qvo ab Imperatoribus, sopitis bellorum tumultibus, pompæ triumphorum ducebantur, assumpsit. Non plures alios qvos recensere neqvit brevis Oratio, ad tantum dignitatis culmen per eloqventiam evectos, & ex humili obscuroq; loco genus trahentes per omnes honorum gradus ad Consulares aliasq;

insignes celsitudines elatos. Eloqventia enim omnibus rebus præest humanis, (ut Basilius Imperator loqvitur) ac ut Leoni regnum in Bestias robur animi, & corporis, aqvilæ in aves, volatus velox & sublimis, sic homini super terram *Eloquentia* imperium tribuit. *Eloquentia* in qvibus dominatur, scientiæ claritate perfusos, magni qvoq; nominis celebritate nobiles facit, *Eloquentia* nomen populis, æternam gloriam gentibus, conciliat, & qvo tela nostra non possunt, honoris qvadrigis invecta penetrat. Verum Eximias ejus dotes, omni voce laudeq; nostra sublimiores venerabor, ne divina res, contra *Solonis* sanctionem, fiat in transcursu, & ne illibata hæc facultas ingenii culpa & eloqvii latialis defectu deterreatur. Ad illos me jam confero, qvi qvod illis à puero non sint artibus informati, qvibus ingenia ad honestum excitantur decus, *Eloquentiam*, qvam se assеqvi posse desperant, in aliis vili floccique faciunt; qvod non tam charitate communi judicioq; maturo qvam sui amore, & gliscentis cujusdam invidentiæ stimulis facere videntur. Nam cum ipsa ne primis labris maximas artes degustarunt, alieni ingenii florem ægro oculo intuentur, maluntq; qvod cuiq; facilius est, egregias disciplinas despicatui ducere, qvam ad eas ingenium, cum pluribus qvi in eo pulvere à viris doctis exsorbentur, laboribus, applicare.

Qvo-

Qvocirca fucum omnem *Eloquentiam* esse dictitant, proprium gentilitatis bonum, Christianis hominibus indignum, flabellum vanitatis, nidum superbiæ, idolorum deniq; servitutem. O verba nimis atrocia æternum optimæ arti exilium indicentia. Qvæ tolerabiliora viderentur, si illi ex qvorum ore immoderatius erumpunt, aut Apostolorum sanctimonia florerent, aut veluti aliqvi Taumaturgi, præpotentem ad qvælibet miraculorum genera expedirent manum, sed cum ipsi homuli sint consilii ac mentis inopes, ægrè nobis persvadebunt, dignam esse Eloqventiam tam enormibus conviciis, vel merito tam turpes literas fronti ejus applicari. Si etenim inprimis divinam Eloqventiam accuratius perpendamus, O qvanto ipsam encomio deprædicandam censebimus! Qvæ non verborum flosculis delicatis auribus lenocinata, sed intimis sensibus cœlesti qvodam ardore accendit, subjecit sibi homines, domuit Reges, Civitates, Provincias, Orbem deniq; Universum, repudiatis erroribus ad Christi Jesu jugum pellexit; hæc longè aliter qvam sub fabuloso Orpheo, effecit, ut agnis lupi accubarent, cum efferatos antea Ethnicorum animos ad amorem religionis continentiæ ac mansvetudinis traduxit. Hac eloqventia Moyses in Sacris mirificè claruit, qvi (juxta Originem in Exod. 4. cap.) disertus censebatur inprimis eâ qvâ florent homi-

homines eloqventiâ, utpotè à pueritiæ rudimentis in aula regis liberaliter institutus, ac nobiliori ingenii cultura perpolitus, sed postqvam cum DEO sermones miscere cæpit, juxta divinam eloqventiam & sapientiam, visus est omnium propè infantissimus. Tandem in Cœlesti Academia, vel potius sacrario eruditus, ea literis mandavit, qvæ Ethnicos eosq; consummatos Oratores in stuporem redegerunt. Testimonio id confirmat clarissimo Dionysius ille Longinus, qvi librum de sublimi Eloqventia scribens, Moysenq; legens, non qvidem inane locutionum choragium, sed notionum (ut ipse ait) præpotentem & exaggeratam sapientiam miratur, inqviens: *Judæorum ille Legislator, non fuit vir de trivio, qui numinis virtutem pro dignitate cognovit, & verbis explicavit.* Hac eadem Eloqventia vigebat Dei fulmen Esaias Vir nobilis, humana divinaq; sapientia, à summis (ut ita dicam) ungviculis, ad verticem usq; perpolitus. Silentio jam involvo Aggæum, taceo Zachariam, præterò Hieremiæ amanuensem Baruch, imò & ipsum eductum ex gregibus atq; armentis Amos Prophetam, ex qvo qvem pleriq; fortè hircosum dixerint, audire possunt ad stuporem plurima, ipsi ungventati. Qvid jam dicam de sacris Evangelii concionatoribus, ac præcipuè qvid de Paulo? qvo nihil sublimius. Non hic magni facio eloqventiam verborum

borum fucis illitam, non vaniſſimo periodicularum ambitu tinnientem, volo grandem, volo præcelſam, volo heroicis ſenſibus exaggeratam; qvid hac in parte Paulo defuit? qvem longè aliter, qvam ille Periclem, tonare, fulminare & miſcere concionibus orbem terrarum dixeris: videas illum hominem μυριόμοχθον modo Judæis, modo Græcis, modo Romanis, mixtum Divini verbi ſemen undiq; ſpargere; ſi docet, qvid illuſtrius? ſi diſputat, qvid ejus calore pugnaci? ſi conſolatur, qvid blandius? ſi minatur, qvid imperioſius? Hic Genealogiſtas Judæos confudit, hic ab Epicuræis ruborem expreſſit, hic Stoicorum nationem plenam contentioſo faſtu ad Chriſtianæ manſvetudinis diſciplinam perduxit; hunc cauſam è catenis etiam dicentem Præſides timuerunt, & ipſi ante reum palluerunt. Judices, Reges, laceram penè ejus penulam & vincula complexi, de regali majeſtatis ſede ad Chriſtianam humilitatem ſeſe abjecerunt. Hunc ſupra humanam ſortem qvaſi de turbine loqventem Lycaones inſtar numinis coluerunt; coluerunt beatiſſimum os illud, fontem illum egredientem de Paradiſo Dei, qvi in qvatuor erumpens flumina totam Eccleſiam mirabili aqvarum ſvavitate, copiaq; Divinæ eloqventiæ reſperſit. Qvam qvis jam laceſſere, qvis turpem notam inurere ei audebit? niſi ille qvi in feram agreſtem degene-

ratis

rans inimicitias ac bellum Virtuti pietatiq; indixit. Si autem heroicam nobis Eloqventiam ob oculos ponamus, ex humana nempe ac Divina ope conflatam, qvid illi objectare possunt homines omni pudore diruti præter hoc, qvod non infusa qvidem, sed simul humanis adjuta præsidiis, simul meliori qvodam cœli ubere irrigata, ad summam pulchritudinem efloruit, qvid animas humiles & egenas veræ laudis in illâ offendit? nisi qvod supernis aucta rivis, qvasi ingens torrens, in mirificam Ecclesiæ S. ubertatem ac fæcunditatem exundavit. Qvam contemnat solus imperitus cujus radios velut noctua non tolerat; Flocci æstiment flagitiosi scelerumq; conscii, cujus fulgore perstringuntur. Ego de ipsâ (si sanum sinciput habere expeto) melius sentire volo. Nec immerito sane. Illa enim est qvæ inanes sapientiæ fumos contemnit, Illa est qvæ omnium prima, sanctissima & fortissima Heroina, Ægyptum spoliat. Illa est qvæ ancillantis facundiæ humilitatem calcat. Illa est qvæ opulentiam omnem veterum, qva ipsi per injuriam abusi fuerant, in sacros usus congerit, & contrito Mogoris idolo, ex ejus auro coronam, magnis præterea & lucentibus gemmis illuminatam comparat. Illa est, cujus pectus generosæ mentis domicilium, indomitos reginæ eloqventiæ spiritus alit. Illa est, cujus lingva in Spiritus S.

offici-

officina prævisa est, cujus os æterni Dei fistula, cœleste nectar, in omnium gentium aures latissimè diffusum. Prodeant jam in medium Viri illi sanctissimi, qvi hac cœlesti Eloqventia posteritati ac immortalitati nomina consecrarunt, qvibus perspectis facilè fatebimur sublimem hanc Svadam minimè spernendam esse; sed supplicandum potius Beatæ huic lucidæque indoli, ut ignoscat tenuitati nostræ qvod neqve privatas laudes inveniat, qvibus illam admirandam potius qvem prædicandam satis efferre possit. Prodeat inprimis *Gregorius Nazianzenus*, qvi cœlestis ingenii pennis subnixus, in arcana Theologiæ mysteria penetravit, & qvasi DEUS fulminans tonans, acer, gravis velox Apostatam Cæsarem grandi supplicio mactavit. Compareat jam *Chrysostomus* ille, qvi, qvo nomine appellari potest? *nisi Theatrum quoddam divinæ eloquentiæ dicam.* Hujus svavitatem *Antiochia* obstupuit, Majestatem *Byzantium* suspexit, Vim Principes & Augustæ timuerunt, omnis sæculorum coluit & colit memoria. Sistant se nobis suo sangvine purpurati Oratores *Justinus* & *Cyprianus*, qvi tantum præstare feruntur cæteris hominibus dicendo, qvantum homines ipsi brutis animantibus antecellunt. Veniat huc *Ambrosius* nectare & ambrosia innutritus, tam svaves, tam argutae plerumq; orationis habens delicias, ut apes, qvæ infan-

infantuli curias & os circumsederunt, credas adhuc in ejus labellis sessitare. Accedat *Augustinus*, qvi ad pugnam aptior qvam ad pompam, cœlestis eloqventiæ torrens, domum Dei fœcundis doctrinæ rivis exhilarans adversariorum propugnacula proterit ac demolitur. Claudat tam insigne agmen *Hieronymus*, qvi *in omni genere summus artifex, qvas styli divitias habet? qvæ lumina? qvos aculeos? Dubites doctumne magis an eloqventem debeas appellare.* Non jam commemorabo plurimos alios cœlestis facundiæ plusqvam mellitis favis depluētes Christo Doctore *Professos Oratores*, qvi imperatorum furias, & frementis in se penè totius mundi pondus exceperunt, sustinuerunt, profligarunt, Hi omnes, velut fortunata eloqventiæ sydera, aprico Sole clarius demonstrant, nec illam superbè despiciendam nec temerè judicandam, nec insufficienter laudandam, sed magis impositio labris digito venerandam. Sed forsitan hostes solam eloqventiam humanam, virilem illam licet sapientem, excelsam, plenam virium, succi, sangvinis & venustatis maledictis gravabunt. Forsan illamq; unicam velut malam, vanam ac nociuam, è finibus Emporiorum sapientiæ exterminandam esse affirmabant? Qvam qvondam Orbis observabat in *Platone*, cujus ratio dicendi tam erat facunda, dulcis, veneribus depluens, ut flumen lacteum dixis-

dixisses labi absq; murmure, & in tuas aures, in ora, in intima pectora svaviter inundare. Qvam venerabatur olim in *Demosthene*, cujus eloqventiæ laudibus nulla par inveniri potest Oratio. Qvam admirabatur antea in *Cicerone* pari Romano Imperio ingeniô, in qvo totas vires eloqventia experta est, in qvo tot sunt virtutes qvot genera eloqventiæ, qvot dicta tot purpuræ, qvot verba tot flores. O lubrica jam Eleboroque digna judicia! Malam ne autumant ex se eloqventiam naturalem? malam certè nemo dixerit, qvi modo sanæ mentis fuerit. Nam qvod homo animal providum, sagax plenum rationis & consilii, intimos animi sensus, oratione velut eximio qvodam mentis simulacro depromat. Donum Dei est minimè contemnendum. Ita ut qvi in hac re uberiores sint & acutiores, hos qvasi meliore cœli rivo irrigatos amamus & suspicimus. Forsitan adhuc illam saltim malam inqvient, qvæ arte conqviritur. Qvid? an si qvæ ex naturæ bonitate, & usu qvodam lautioris consvetudinis existit eloqventia, nihil habet reprehensionis, tum demum censebitur vitiosa, cum arte & studio honestissimè exculta fuerit? Vel an autumabunt artem, molem solum & ornatam efficere eloqventiam? certè si jam ornatus ac jucunditas accusatur, verendum est ne non

tam nobis cum Oratoribus, qvam cum Deo ipso præpotente, illius pulcherrimi mundi artifice, certamen constitutum sit atq; susceptum. Exsurgant qvippe momi, & dicant, qvorsum tot micantium Syderum in cœlo formæ, num satis uno Sole cœlum colluστrari poterat? qvorsum in mari tot margaritæ? tot flores in terris? tot marmoris, auri argentiq; venæ, qvibus sine sui dispendio caruisset mundus. Qvorsum tam variæ & tam multiplices inventæ artes? qvanto melius erat universum semel conditum suæ (ut ita loqvar) ingenuitati permittere, qvam tot exqvisitis artificiorum generibus, à naturali cursu detorqvere. Hæc si qvis effutiret merito ridiculus, ne dicam impius videretur, qvi summam Dei in constituendis ornandisq; rebus providentiam ad suam censuram revocaret. Nec dissimili pacto, videntur in humanam societatem injurii, qvi hoc qvantumcunque est lingvæ & orationis commercium, qvô a brutis animantibus distingvimur debere esse qvam ornatissimum vetant; qvasi verò qvæ una pars est corporis (si benè castèque regatur) ornatissima negligere omninoq; abjicere debeamus. Percipiamus jam curiosis auribus qvid tandem velint. Sit (inqviunt) ornata & pexa oratio, qvis vetat? sed id duntaxat, in scenis & theatris in foris & concionibus in-

qvibus

qvibus albis velut qvadrigis triumphare, & magno fremitu plauluq; celebrari Eloqventia solet, contenditur, in templo autem in domicilijs sanctis, qvid attinet hanc svadam in fastu & gloria volitantem, immoderatius ostentare? qvam nec Christiani nominis simplicitas, nec aures salubrioribus innutritæ succis admittunt. Pulcher sane discursus ex Apollinis Oraculo (si Diis placet) depromptus. Si enim templa resq; divinæ, carere omni cultu & perpolitione deberent. Cur in Ecclesiarum laxam & pulchram structuram tantus impendi labor consvevit? Qvorsum tot & tam accuratæ munditiæ, qvæ spectantium oculos, & sensus intimo religionis honore perfundunt? Cur non stulti *Salomones. Constantini, Justiniani, Caroli* dicuntur? qvibus nihil fuit antiqvius qvam æternæ mentis numini domos dicatas singularibus in dies ornamentis distingvere, dulces omnis generis fidium modulos, veteris licet qvondam scenæ & conviviorum delicias invehere; qvæ nemo reprehendit nisi qvi religioni & sanctimoniæ bellum indixit. DEO enim hæc fiunt, cujus tam venerandum est numen, qvam certa divinitas. Qvis jam igitur sacro Oratori succenseat si in divinas laudes qvam expolitissimam profundat Orationem; cum in ejus gratiam nihil possit esse satis perfectum. At nondum heterocitica sedari possunt ingenia,

& qvidqvid ab Ethnicis ingeniis ac artibus proficiscitur, Deo placere nullo modo posse inqviunt. Ah Ah! qvis te tandem docuit inventum esse Ethnicorum Eloqventiam? Nam parum valde, summis illis Hebræorum mentibus tribuis, si arbitraris eloqventiâ fuisse destitutas. Sed esto, à gentibus expresserimus, & unde ipsæ habuerunt nisi a Deo bonorum omnium largitore? qvò fit, ut nihil illis suum eripiamus, sed ab iniqvis usurpata possessoribus, in legitimum dominum asseramus. Et qvæ ab ipsis prælibata fuere, in nostras manus usumq; venientia non repudiemus, ne novum nobis solem, novos mundos condere cogamur, commerciumq; elementorum saltem cum gentibus commune habere negemus. Ignorant, præfecto O. O. A. S. simplicis ingenii homines, ipsa Ethnicorum templa teterrimis flagitiis polluta, cum in Christianorum potestatem deveniissent, non semper exciſa fuisse atque convulsa, sed suis expiata sordibus in sanctissimos usus concessisse. Vidi oculis meis Romæ Pantheon illud, Dæmoniorum omnium receptaculum in *Sanctorum* omnium honorandorum ædem esse conversum, ut in ipsis sedibus, in qvibꝰ consederant castra impietatis, Christi Jesu religio & pietas, fremente Diabolo triumpharet. Legi & *Davidem* coronam sibi ex auro idoli *Moloch* comparasse. Didici & seqvestrum generis

huma-

humani filium Dei unigenitum, famosæ illius Magdalenæ comas in suum obsequium dedicatas abradi non jussisse. At sensu Eloqventiæ humanæ adversariorum, qvid citius, qvid velocius abradere debebat? qvam crines toties malè pexos, malè ungventatos; qvid dico crines? Dæmonum pilosorum (qvos Aqvila τειχιώντας appellat) nidos, juventutis illecebras, miserarum victimarum libidinis retia. Cur autem iis tangi? cur extergi? cur perfricari voluit benignissimus Salvator? nisi ut ostenderet nihil esse impurum, qvod ejus esset cultui obsequioq; mancipatum. Ecqvis jam per DEUM impudicam? ecqvis nocivam eloqventiam etiam humanam nominare audebit, qvæ se DEO devoverit? Ecqvis satius hanc perpetuam sapientiæ comitem, hanc magistram elegantiæ, lucem doctrinæ navibus atque qvadrigis non perseqvetur? absq; qvâ tacent legationes, frigent pulpita, sordent rostra, Lycea pudent, dissolvitur humanæ societatis nexus, absque cujus venustate, nec Juris nodos legumque ænigmata solvens, Reipublicæ, nec Religiosus sacrarum literarum Mystes Ecclesiæ clavum moderari cum honore & utilitate potest, Qvæ bonorum gemmas SS. Theologiæ largitur. Medicinam auro exornat, hilariorem suo nectare Jurisprudentiam, svaviorem suâ ambrosiâ Philosophiam reddit, ac reliqvas omnes scientias, omnē

in lucem publicam & in ipsius gloriæ theatrum producit. Hujus vos dulcedine Nobilissimi Juvenes, velut qvodam mentis pabulo naturali deliniri non dubito expetietis, proventu tam bonæ frugis, cujus uberrimam messem DEO Duce, in hac Rosarum Academiâ metere licet augeri exoptabitis, genium vestrum egregium propitiantes, speratam virtutum fæcunditatem in herba supprimere nolentes, & non degenerem aliqvando locum in hac mundi universitate defendere affectantes. Cujus voti ut compotes vos reddat Supremus ille bonorum Largitor, cordicitus voveo, & laudes vulgares Eloqventiæ meritis, indignas, qvibusq; deprædicare tam Insignem Heroinam penè piaculum esset, finio. Tuæ jam immensæ Majestati, tuæ infinitæ clementiæ, ô maxime DEUS, supplex fio! Porrige qvæso mihi tuum subsidium, exhibe favorem, præsta vires ac robur, ut hocce munus vel potius onus tuo Sanctissimo placito mihi impositum, ad Honorem tuum, ad Academiæ hujus ornamentum, ad Studiosæ juventutis emolumentum, fremente invidiâ tueri possim. Fave propitiis beneficiis, syderibusq; è cœlo in hunc Orbem Megapolitanum dimissis Illustrissimo nempe ac Celsissimo Principi nostro ac Domino DN. ADOLPHO FRIDERICO, Mæcenati ac Promotori meo ætatem colendo, Illustrissimis ac Celsissimis Ducibus Juniori-

nioribus, ac toti Vetustissimæ Prosapiæ Megapolitanæ; tamq; præclaris muneribus, adde perennitatem. Prudentissimum ac Spectatissimum hujus Urbis SENATUM, incolumitatem ac libertatem Patriæ sedulo procurantem, ab omni seqviori fortuna, diutissimè ac felicissimè ad clavum Reipub. sedentem vindica. In afflictum hujus Urbis ac Megapolis Statum, flecte oculos illos tuos svavissimos, flecte spei jubar, flecte spicula charitatis. Almam hanc Academiam florentissimum utriusque sapientiæ seminarium tuâ clementia tua benignitate secunda; ut tum docentes tum discentes in ipsâ, literarum gloriam, seculi dignitatem prolixissimè ac felicissimè propagare valeant. Germaniam deniq; totam jucundissimam qvondam spectatu regionem, in sinũ amoris paterni recipe, iram in favorem converte, rerumq; altricem pacem, aureæ tranqvillitatis lucem, j ubar candidæ concordiæ tribue. Nunc Illustrissimo Reverendissimo ac Celsissimo Principi DN. ADOLPHO FRIDERICO, Duci Megapolitano, Principi vetustæ Gentis Henetæ, Administratori ac Comiti Sverinensi, Dynastæ Rostochi & Stargardiæ, Domino meo clementissimo, immortales reporto gratias, ob decretum mihi honorificæ hujus Oratoriæ Professionis beneficium; qvod nisi gratissimè qvoad vixero agnoscam, ingratissimus sim omnium mortalium.

mortalium ipsisq; Getis inhumanior. Easdem Illustrissimis ac Celsissimis Ducibus Junioribus Megapolitanis, totiq; Regiæ huic familiæ, pro singulari erga me favore refero, religiosissimè promittens, nullam unqvam vetustatem tantum erga me studium, in animo meo deleturam, nullūq; ævum exempturum. Non possum jam absq; enormi ingrati animi notâ sine devotâ ac submississima gratiarum actione præterire *Reverendissimum Illustrissimū Serenissimumq; Principem ac Dominū* DN. FRIDERICUM, ARCHIEPISCOPUM BREMENSEM, EPISCOPUM VERDENSEM, HÆREDEM NORWEGIÆ, DUCEM SLESWICENSEM, HOLSATIÆ, STORMARIÆ, DITHMARSIÆ, COMITEM OLDENBURGICUM, ET DELMENHORSTANUM, Dominum clementissimum Promotorem meum è paucis in hisce rebus terrenis singularem, qvi pro sua illâ, & qvidem in tanto dignitatis fastigio, rarissimâ ergà literatos humanitate, non solum in illâ illustrissimâ Aulâ Verdensi; (qvam satius pietatis Scholam, religionis palæstram, templum honoris, Curiam Virtutis dixerim), in consessu Virorum illorum Magnorum, qvi semper serenissimum ejus latus stipantes in ore, in animo versantur omnium nominisque magnitudine Romanum Imperium, diuturnitate verò famæ vastam temporum profunditatem æqvant, non solum,

inqvam,

inqvam, mihi peroranti benigniſſimas aures præbuit, non ſolum ſummis beneficiis ornavit, verum etiam ad Illuſtriſſimum Reverendiſſimum ac Celſiſſimum Principem Megapolitanum Dominum clementiſſimum, cum literis favoris pleniſſimis remiſit, utq; locus inter lumina Orbis literati, in Roſeto Balthico ſplendeſcentia, concederetur ſeriò ac efficaciter rogavit. Soſpitet illum Supremus Regalium Arbiter velut benefi-cum Sydus è cœlo in haſce terras, fortunæ Bodockerianæ communicatum, & hancce AUGUSTISSIMI MAGNIQVE REGIS DANIÆ, NORVEGIÆ, GOTHORUM VANDALORUMQVE REGIS HÆREDITARII &c &c. CHRISTIANI IV, HEROIS inter Monarchas Europæ piiſſimi & prudentiſſimi Sobolem, omni proſperitate affluentem, ſervet; ſervet in annos nondum nepotum noſtrorum nepotibus notos, ut omnes ſub ejus placidiſſimo felicique imperio ætatem ſuam piè & honeſtè tranſigant. De cujus jam ſapientiâ prudentiâ inſigni illâ mundiq; ore celebratâ manſvetudine, deniq; de plurimis celſiſſimis ejus Virtutibus, tacere ſatius eſſe, qvam exigua loqvi, exiſtimo.

Tibi ad extremum Magnifice Dn. Rector, Vobis Reverendi Excellentiſſimi Clariſſimi Domini Profeſſores, Collegæ jam mei honorandi ac amandi, obligatus ſum, qvod actum hunc introductio-

ductionis ad effectum perducere, illumq; honorificâ vestrâ præsentia cohonestare dignati sitis. Vobis qvoq; Magnifici Amplissimi Consules ac Senatores infinitum me debere fateor, qvod severioribus vestris curis qvibus publica salus nititur postpositis huncce Actum Venerabili vestro cõspectu illustrare, illumq; favorem, qvo me semper prosecuti estis, clarissime hodie manifestare volueritis. Similiter & Vobis Excellentiss: ac Experientissimi Dn. Doctores, Reverendi admodum Verbi Dei Ministri, Phil. & artium Magistri, ut & omnium Ordinum Auditores ac Hospites honoratissimi, Vobis, inqvam, devinctus sum, qvod actum & sermonem nostrum, vultu vestro gravissimo, auribusq; benignissimis recreaveritis. Vobis etiam Nobilissimi D. Studiosi, summas habeo agoq; gratias, qvod expectationis jucundissimæ usuram, tam ingenti confluxu mihi exemeritis, qvantiq; me licet immeritum licet peregrinum, faciatis, tum hac freqventiâ, tum gratulatione publicâ, ex amore mero procedente, ostenderitis, Dabo cum Optimo DEO operam, ne Vos Omnes parum grato ac memori hunc honorem exhibitum esse arbitremini; curasq; omnes ac cogitationes semper in idipsum devovebo, ut neq; Vos favoris mihi præstiti, neq; me accepti æternum pæniteat.

DIXI.

SERMO VI.

In diem natalem

Illustrissimi Infantis

BERNHARDI SIGISMUNDI,

Ducis Megapolitani &c.

Plura vide in Syllabo Sermonum.

REmota ab humana mediocritate supernorum illorum fatorum series egregiè hisce temporibus totius Megapolitani pectoris ardoribus respondit; & qvam horrendis ærumnis ac infortuniis velut pestilenti sydere per tot annorum spatia afflabat, illam præterito Februario insigni munere publicàq; lætitiâ affecit, dum supra Horizontem ejus ad alias fulgidas Stellas, ad illustria Sydera totius Augustissimæ domus Megapolitanæ recens non minus decorum BERNHARDUM nempe SIGISMUNDUM collocavit, tamq; eximiâ prole Illustrem prosapiam Megapolitanam beavit. In hac solenni universaliq; voluptate gratulatur sibi lætabunda Megapolis, in præcellentis hujus Principis in hanc Urbem mortalium adventu oblita qvasi præteritæ calamitatis sublimius caput attollit, & illustrata hoc novo Sydere, recentique suffulta columnâ prono sibi pollicetur augurio splendorem nunqvam

qvam obfuscandum, sustentaculum robustissimum, fortunamq; placabiliorem. Qvid jam de ILLUSTRISSIMIS AC CELSISSIMIS Parentibus proferam ? dici non potest, qvam ingenti voluptate perfruantur illorum Excelsissimi animi, dum sangvinem suum longè generosissimum in hisce rebus caducis tam vivo gressu ad continuandam Prosapiæ perennitatem properantem conspiciunt, dumq; summam hanc solam & unicam, qvam Orbis totus expetere potest, prosperitatem assequntur, ut propriâ, fœcundâque progenie erumpant in ipsam posteritatem, qvasi mortalitatem abdicantes, sangvinemque suum qvasi albo diuturnitatis adscriptum in ipsam immortalitatem asserant. Qvid de omnium bonorum pectoribus loqvar? sanè dum Vindicem libertatis, dum depositorem futurum publicæ salutis in hasce emissum auras percipiunt, in ipsum jubilum resolvuntur, apertoq; gaudio debitum honoris ac observantiæ inclyto huic Capiti vitæ hujus limen nuper ineunti officium contestantur, qvod vix ipse Scytha aut Thrax à cultu religionis ac humanitatis seqvestratus denegaret. Sola jam nostra Alma mater Academia Rostochiensis restat. Illane eò humanitatem ablegabit, illane eò erga suos Fundatores, Nutritios, Fautores, Propugnatores ingratitudinis deveniet, ut iniqvo silentii charactere tam publica gaudia ob-

signare

signare audeat? Absit, absit. Sacrilegium illa profectò censeret, si Illustrissimum Principem Infantem BERNHARDUM SIGISMUNDUM nuper cœlo nobis tributum, tum lætitiâ, tum gratulatione non prosequeretur, votaq; pro ipsius incolumitate ac prosperitate ex ipsis præcordiorum meditulliis ad Magnum Orbis Gubernatorem non depromeret, sub cujus protectione ac clementia antiqvâ qviete fruituram se sperat, neq; temerariis auspiciis auguratur. *Novit bene qvid pietas flagitet, qvid exposcat æquitas, qvid mos admoneat, qvid placitum Superorum jubeat.* Idcirco eum natum cum summâ animi voluptate salutat, animitus exoptando, ut Supremus Vitæ Arbiter de ipsius annis ætatem ei longissimam adjiciat. Et ut eò lucidiori cultu affectum suum testetur, donarium qvoddam Principi Infanti devotissimè per publicum suum Præconem, Coronam nempe ex Olea viridi, è Lilio svavissimo, è Palmâ glorioſisimâ à Musis Varniacis affabrè contextam offert. Obtulisset & ipso auro micantia munera, & qvicqvid hic vel alter orbis pretiosissimi in se complectitur; sed munifica mens ejus à copiis & opibus destituta non potuit. Potuisset qvidem cum suis Musis à summo Jove impetrâsse, ut tantum munus præstantissimis qvibusqve in hoc Universo rebus decoraret. Potuisset vel ex *Hortis* Hesperiis

riis aurea poma Infanti Celsissimo decerpere, verùm noluit, hancq; ei solam Corollam præbere placuit. Qvibus verò de causis id ipsum faciat, pro modulo ingenii divinitus concessi lubens recensebo, ut plus honorem Academiæ publicis si non præclaris at certè sinceris actibus tuear, qvam vel minimo nævulo magnis etiam Orbis literati luminibus communi lædam; licet hæc curiosus malevolusq; livor siniſter alienorum actorum interpres non perpendat. Tu jam Inclyta Auditorum Spectatorumq; Corona, (per sacra Musarum obtestor) defectum virium, ingenii, ac facundiæ tui favoris præsidio supple, benignamq; audientiam exhibe; dum non ignoras in rebus arduis mediocritatem noſtram vincentibus conatum licet non parem merito, si non laudem, saltim gratiam veniamq; promereri.

Petita ex alto verborum lenocinia ultrò aspernando, primoque statim impetu in arcem ipsius causæ memet proripiendo planum reddo. Oleam stabili flore virentem, & ad qvadringentos annos durantem venerabatur cana antiqvitas; In cujus laudibus, non mediocris æstimii Poëta copiosissimus in hæc qvoq; prorupit metra:

Perpete flore virent rami vivacis Olivæ,
Nec Borealis hyems, nec Sirius afflcit illos.
Non est Palladiâ vivacior arbore planta.
Cùm qvadringentos constanter terminet annos.

Qvis

Qvis itaq; jam miretur, qvod Roſetum Balthicum Oleâ Illuſtriſſima Infantis Principis tempora cingat, cùm antiqviſſimam Familiam Megapolitanam, è qvâ lumen vitale hauſit, veluti Oleam, illæsâ viriditate ac dignitate, non per ſolos qvadringentos annos, ſed per tot annorum centena ad hæc usq; tempora floruiſſe cernat. Deus immortalis! qvam copioſa de hac Oleâ diſſerendi materia ineliqvato Oratori ſeſe porrigit. Sed absq; ſpecioſo complexu attingam ſaltim penicillo ſermonis Oleam Megapolitani Stemmatis ſemper virentem, premens pictoris ſagacis veſtigia, qvi in anguſto abaco magnam licet hominũ congeriem expreſſurus, paucorum duntaxat capita monſtrare conſvevit, corporibus interim integris abſconditis. Qvidam à Caroli Magni imperio, apud qvem ſubibat caſtra Bilungus poſtmodum Obetritarum Rex 26 Oleam Proſapiæ Megapolitanæ pullulâſſe affirmant. Verùm genius noſter Antiqvitatis famam maximi faciens, illamq; divinum qvid in ſe continere autumans, & ſicut accepit, Principum noſtrorum originem poſthumis iterum tradere expetens, Oleam Megapolitanam originem duxiſſe ab Anthyrio Primô aſſeverat; qvi patrium ſolum ex Aſiâ per mare Venetum ac Balthicum rediens, ad illius domitoris Orbis famoſiſſimi Alexandri Magni defuncti, ejusq; eqvi decantatiſſimi ſempiternam

recor-

recordationem in velo navis Bucephali caput, nec non in prora aurei Gryphonis insigne (qvod adhuc Illustrissima Megapolitana domus retinet) duxit, & sic aulâ regnoq; firmatis, *Primus* Sceptra Herulorum ac Vandalorum in hisce locis tenuit. Bis jam mille ferè sunt anni, cùm Olea Ducum Megapolensium in florem sese induit, & intaminato semper fulgore coruscans, alias ex aliis Oleis Heroas nempe *illustres perpetuâ serie ad hanc novellam BERNHARDUM SIGISMUNDUM Orbi exhibuit.* Explicemus jam hanc Oleam, ac qvarundam saltim capita, in tam angusta horâ, velut in angusto (ut dixi) abaco, ad modernam usq; BERNHARDUM SIGISMUNDUM Februario hocce huic communi luci sese præsentantem accuratius perpendamus; tunc, tunc luce ipsâ clarius Olea Megapolitana nobis patebit. Offert se mihi statim MAGNUS ille III. verèque μέγας, ex serie paternâ Infantis Principis Atavus, sanè ingenii animiq; dotibus ingens, qvæ meliore cœli Spiritu afflata fœdissima voluptatum mundanarum volutabra, odoratissimos hosce putores, svavissima hæcce senticeta respuens, ad divinæ Majestatis radios, qvi floridam semper *Oleam* redderent, sese explicabat, in se undiq; per reciprocos divini amoris circuitus remeans, vixq; in exteriora seipsam dispescens. *Si* unquam exteriora dicenda sunt; Semel terram

Pro-

Promissam orientis (ô qvam immensum iter!) Bis totius Orbis Caput Romam (ô eximium illâ ætate pietatis documentum!) adire; Opponere se murum pro domo Dei; stare in propugnaculis Ecclesiæ non coronati & mollis, sed pulverulenti & colorati instar. Mereri ineffabilem apud Augustissimos Imperatores *Fridericum* & *Maximilianum*, ob prudentiam magnam, tum in comitiis Romani Imperii, tum in aliis congressibus favorem; Donare libertati totam Megapolim, sub pondere æris alieni plorantem; Non abligurire per luxuriam aut inertiam partas à Majoribus opes, apponereq; ditioni propriæ Stargardiam Provinciam recentem. Non externa hæc, non caduca hæc, qvibus olea cœlestis sese impendebat; verùm præclarissimæ Cedroq; dignæ virtutes, in qvas oculum conjiciet subseqvens ætas, nec unqvam tam decorem suo seculo *Oleam* oblivione sepeliet. Non jam proferam, qvàm insigniter sese *Olea* hæc tribus ejusdem speciei floseulis, filiis nempe posteritati admirandis, nati Principis Patruis magnis, dilataverit. *Quorum unus Henricus* placidissimè ad clavum magni hujus Ducatus sedebat, *Pacificus*, Paterq; Patriæ appellatus, O divinam me herclè *Oleam* è Cœlesti Paradiso in hancce vallem Megapoleos dimissâ, æternisq; gratiis dignissimam, cujus auspicia tanto ac inæstimabili donario fidei Orthodoxę hanc-

ce provinciam locupletârunt. *Secundus* ERICUS, fulciens suo seculo Eruditionis decus florebat cum summo stupore in illo splendidissimo Musarum Bononiensium in Italia Horto, variis exteris dialectis, multipliciumq; notitiâ rerum exornatus. Florebat postmodum & in hoc Roseto Balthico, & ita florebat; *ut in alterum Apollinem Musis ac Musarum Sacerdotibus præsidentem excreverit, fascesq; ac purpuram Orbis Literati, qvem Rectoratum dicimus, cum immarcessibili nominis sui decore Olea* hæc gesserit. Macte isto pectore Sapientiæ virtutisq; odore fragrans *Olea*. Macte isthâc mente acri præcelsâ virens Princeps ERICE. Cujus æternæ laudis ingeniiq; pignora vigent in Albo nostro, vigent in Annalibus hujus Roseti æternitati consecrata, vigebuntq; tam diu, donec cultores suæ famæ honorisq; habebit. *Tertius* demum frater ALBERTUS PRINCIPIS Infantis Abavus venit *Olea* utrâq; stirpe ex Sophia ERICI II. Pomeranorum Ducis filiâ clarissima, FORMOSUS cognomento nuncupatus, tam conspicuam totius corporis pulchritudinem exhibebat, ut in ipsum excellentiori qvodam pollice velut in ingenitæ virtutis ac honestatis imaginem natura incubuisse, ac delicatioribus industriæ lenociniis luxuriâsse videretur. Sed secedant ista, qvæ inopinatæ mutationi subjacent, & præter spem cum fluxa hac vita per-

pereunt; illis ipsis contra qvæ fatorum malignitas nihil potest, sublimitate nempe mentis, prudentiâ pectoris, linguæ suavitate, cœterisq; animi dotibus cum æternitate seculorum famam nominis sui olea hæc conjunxit & exæqvavit. Seqvitur jam non posterioris dignitatis inter tres fratres ex ANNA Electorum Brandenburgic: prosapia oriundâ JOACHIMI I. filiâ, UDALRICUM æqvissimum, CHRISTOPHORUM magnanimum, CAROLUM mansuetissimum, seqvitur inqvam qvartus Principis BERNHARDI Proavus JOANNES ALBERTUS adinstar Oleæ nulli unqvam corruptioni qvoad famam immortalem obnoxius, cujus laudes (cum ingenuè imbecilles vires meas fatear, ut hancce Oleam ad astra elevem) Musæ nostræ Varniacæ annuatim deprædicate, nomenq; magni Ducis JOANNIS ALBERTI ingeminate, qvi post primos illos An. 1430. Architectonas & Institutores Vestros JOANNEM & ALBERTUM DUCES MEGAPOLITANOS munificentissimè vos opibus sustentabat, neq; unqvam egere permittebat, sciens Vos famam cœlo astrisq; terminare, Vos solas rebus præclarè gestis immortalitatem donare. Adest jam nobis Olea illa excellentissima ex ANNA SOPHIA Brandenburgica prodiens JOANNES Principis nuper mortalitatem inchoantis Avus, qvi probitate, qvi tranqvillitatis

ac incolumitatis publicæ amore, aliisq; virtutibus gratissimè virebat, viruissetq; absque dubio prolixius, nisi triginta & qvatuor annos solùm in hisce rebus caducis virentem inexorabilis Clotho ex hoc Roseto demetuisset, & in foveam feralem qvoad inferiorem saltim partem projecisset; Nobilior enim pars segregata à parte imbecilliore, sui jam de morte ipsa virens florensq; ad clepsydram æternitatis triumphat, neq; annorum terminos vel felicitatis mensuram præstolatur. Claudit jam agmen paternarum Olearum Illustrissimus ac mellitissimus Parens Principis Infantis FRIDERICUS ADOLPHUS Dominus noster Clementissimus, solus jam ad instar Atlantis Orbem Megapolitanum sustentans. In cujus Oleæ illustre pectus, velut in deliorum qvoddam ædificium pietas sese recepit, adeoq; fixam in hac Olea sedem posuit, ut & temporum tristitiam Spartanâ nobilitate concoqvere, procacis sortis atroces insultus animosè perferre olim potuerit, donec fausta lux à Deo vindice piissimæ mentis reducta candidiores soles revocâsset, omnesq; malevolorum technas velut frivolas nubes dissipâsset. Qvis hujus Oleæ clementiã; qvis favorem ejꝰ ac libertatem in hancce Academiam, qvã more suorum Majorum summis beneficiis mactat; qvis cæteras Heroicas virtutes, de qvibus tacendum satius, qvàm culpâ ingenii exigua dicendũ,

qvis

qvis inqvam condigno celebrabit elogio? Academia noſtra in hanc rem aliqvid ſemper molietur, publicis monumentis immortalitati hancce Oleam devovebit. Et ſi aliqvando in Pieria Alexandro Magno in Perſas expeditionem parante, Orphei ſtatua ſudavit, omnium vaticinio indicans, omnes Poëtas ingentem operam Alexandri M. rebus geſtis decantandis impenſuros; ſudabit melius laborabitq; ſolertius Academia noſtra mecum publico ſuo interprete, ut hujus oleæ, (qvam in prolixiſſimos Dei clementia ſoſpitet annos) merita ac beneficia in ipſo æternitatis ſinu reponat, poſterisq; ipſis ad perpetuam laudem famamq; transmittat. Luſtrâſtis jam oleas paternas, è qvibus novella hæc olea in lucem prodiit. Nunc proſapiæ maternæ oleæ in ipſum theatrum eſſent producendæ. De qvibus ſileat potius Orator jejunus, qvàm in ſufficienter loqvatur, ſermonisque ignobilis tarditate tantos Heroas deterreat. Hocſaltim ſilentio involvere piaculum ſit, Celſisſimam Matrem infantis Principis MARIAM CATHARINAM Brunſvicenſes ac Luneburgenſes Principes Majores habere, in antiqva Saxonia qvondam præluſtrisſimos, ex illa Guelphorum vetuſtisſima ſtirpe prognatos, qvi ſeſe pulchrè per totam Bavariam & Saxoniam olim explicaverant, fauſtisſimoq; dominatu ad inſtar Oleæ floruerant, florentq; hodie Zephi-

ris aſpirantibus felicisſimè. Ad qvorum eximiorum facinorum recordationem, qvæ & in ipſis ſaxis & lapidibus leguntur, obſtupeſcit mens, & cum rebus immenſis ſermo deſit, vox ipſa Oratoris obmuteſcit. Ex tam prolixè & feliciter virentibus Oleis in conſortium viventiũ devenit Princeps BERNHARDUS SIGISMUNDUS; *talibus radicibus inclytũ hoc germen ortę ſui primordia adſcripſit. Qvod hocce noſtrum Roſetum Balthicum cernens jure merito Illuſtriſſimi Principis caput Oleâ redimit, vovens animitus, ut in annos longævos, & in ipſam immortalitatem illius virtus vireat, ſciens bene, qvod patrum virtus ut plurimum in progeniem tranſeat, qvòd à magnanimo Leone degener pavidusq; lepus non prodeat, neq; abjectum anſerem armiger Jovis ales progenerat.* Sed & ideò Oleam in Corona Academia addit, pacem tandem aliqvando in lugubri hac Megapoli futuram, Oleâ Pacis hieroglyphico manifeſtans. O DEum immortalem! qvis calamitoſam ſortem Megapolis vivis coloribus adumbrare poteſt? ſoli per ipſam nuper graſſabantur furores Bellici, crudelis ubiq; luctus, ubiq; pavor & plurima mortis imago, tot morientium gemitibus Pagi locaq; alia perſonabant; qvi vitam forſan prorogare potuiſſent, ſi illis (ut cæteris) felibus & canibus, imò & ipsâ humanâ carne coctâ vel aſsâ, proh dolor! famem explere licuiſſet.

set. Ecqvis ab omni humanitate peregrinus adeò, cujus aures tam surdo verbere tactæ non lancinentur? nisi cui chalybs aliqvis circa pectus. Verùm erige paulisper animum fortiqúe solatio mitiga mœrorem, Oleam enim Principi infanti hodie Academia porrigit, sperans nascente Principe hoc, tum & aliis Illustrisimis Ducibus Megapolitanis felicisimè viventibus, jam illa tempora ventura, qvibus expandet alas clementiæ suæ super afflictam hanc provinciam DEUS fortis & misericors, imò & ipsi Germaniæ porriget auxiliarem dexteram. Et jubebit tandem, ut sedatâ Magnatum disidentiâ pax sincera pax firma utriq; parti jucundisima velut Olea virens, exhibeat denuò amabilem vultum, hen! diu nimis pedibus hostium calcatum. Ac qvemadmodum effusum in perturbatos maris fluctus oleum (ut Pier. Valerianus scribit) tempestatem tranqvillat: Sic Princeps novellus, effusus in hanc Megapolim, vel potius in ipsum Romanum imperium, velut in tot cladium procellis agitatum concussumq; mare, Dei Præpotentis ope, si ipsi prolixiorem vitam dederit, sedabit, pristinæq; sanitati Megapolim redonabit. Sanè hanc spem de ipso tota Academia concipit, nec enim aliam debita erga Illustrisimam familiam observantia permittit. Et in Adriani Imperatoris nummo simulacrum qvoddam flexo genu dexteram Adri-

ano ſtanti porrigens, ſiniſtrâ oleæ ramum humero demiſſum cum hac inſcriptione *Reſtitutori Hiſpaniæ* deprehendens, ſimile qvid hodie præſtat. Me nimirum in hoc ſuggeſtu lubentiſsimè ſiſtit, qvi genu etiam flexo, in ſimulacrum debitæ ſuo Patrono, ſuo Nutritio reverentiæ, BERNHARDO SIGISMUNDO nondum ſtanti, verùm incunis jacenti dexteram exhibeam, ſiniſtrâ ramum olivæ complectens, ſimili inſcriptione additâ: *Reſtitutori Megapolis*, vel ut in nummo Severi Pii *Fundatori Pacis*, vel ut in nummo Philippi PAX PERPETUA. Oleam præbet Principi Infanti, condonationis, clementiæ ac miſericordiæ notam, ad oculum qvaſi monſtrans, nihil majori molimine Principi in ſummo ac excelſo dignitatis gradu debellandum, qvam animum ultionis avidiſſimum, ad oculum monſtrans frenum eſſe imponendum iracundiæ, qvæ cùm maximè inimica ſit rationi, à furore nullo niſi temporis exiguitate diſcriminatur, ad oculum monſtrans in nihil aliud Principem incumbere debere, qvàm ut clementiam velut jucundam ſuavemq; oleam, omnibus victoriis atq; triumphis anteferat. Qvid enim in ſuprema fortuna majus? qvid qvod Principis indolem magis ornet? qvàm humanæ infirmitatis miſereri, qvàm injurias oblivioni mandare, qvàm inimicos ipſos beneficentiâ & officiis devincire. Patet id luce ipsâ clarius in Caroli V.

&c

& Maximiliani II. numiſmate, in qvo Aqvila ſulmini inſidet, ramumq; olivæ ore complectitur. Non alia de cauſa, qvàm qvod Reges & Principes generoſo ad inſtar aqvilæ animo injurias ab ipſis etiam hoſtibus qvaſi ab abjectis corniculis illatas riſu excipere debeant, hilari ac ſereno animo in hæc verba prorumpentes: *Solâ virtute ſeqvantur.* Et qvod benignum Jovem æmulati non absq; conſilio, non præcipitanter in capita nocentium ſuppliciorum fulmina mittere teneantur; ſed illis potius inſidentes oleæ ramum clementiam nempe facilemq; veniam declarent, hoc ſibi ſemper proponentes, ubi aliqvid fulmine percuti, id eſt pœnâ affici debet, ne Jovi qvidem ſuum ſatis eſſe conſilium. Noverunt id, perſpexeruntq; optimè Heroes illi qvondam Illuſtriſſimi, qvi & ideò non tam hoſtem feroci ferro frangendo, non tam per obſtantes globos ad triumphos graſſando, qvam oleam veniæ ac miſericordiæ ſartam relinqvendo, cœlum ipſum vertice pulſarunt. Hâc arte Hercules, hâc Scipiones, hac Camilli in ipſum æthera ſunt ſubvecti. Hâc arte FRIDERICUS I. Daniæ Rex, Sereniſſimæ SOPHIÆ Regio ſanguine prognatæ, Illuſtriſſimi noſtri Principis ADOLPHI FRIDERICI matris avus, hâc inqvam ad cœlum ipſum ad immortale decus viam ſibi ſtravit, qvi à fratre Rege JOANNE bonis omnibus ſpoliatus pater-

nãq; hæreditate privatus eô miseriæ ærumnæque deveniebat, ut Coloniam Agrippinam sese conferre, ibiq; (qvæ privatorum mortalium sortem decent) Canonicatum telo inopiæ urgente ambire compelleretur. Qvid tandem agebat Fridericus I.? Inexpugnabili mentis generositate hos insultus devincebat, non *jurgia*, non *minas*, non seditionem, non *dolos*, *qvibus armis plebeia anima uti solet*, *sed oleam mansvetudinis*, oleam misericordiæ, præ se ferebat, virum se præbebat sub tam lugubri cœli vultu, donec iterum serena effulsisset Sol, Rexq; Daniæ ac Norvegiæ designatus ac electus fuisset, immortalemq; nominis perennitatem ad posteros pro lenitatis laude transmisisset. Hoc æternæ laudis memorandæq; virtutis documentum non solùm BERNHARDE SIGISMUNDE contemplaberis, si prolixius rebus caducis aderis, verùm assiduâ meditatione cum bono Deo perficies, ut imos ipsos penetret recessus, ut in succum & sangvinem vertatur, ut in actum & mores ad totius Megapolis voluptatem proficiat. Et hanc ob causam in corolla oleam tibi cum aliis flosculis Academia copulat. Addit ad Oleam Academia Lilii amabilem florem. Omnium qvidem florum hæc est prærogativa, ut nos SPES BONAS fovere jubeant. Unus nihilominus præcipuus Lilium nempe, omnium ferme consensu SPEI Bonæ Hieroglyphici

phici supremas obtinet partes. Hinc si in Antiqvitatis monumenta oculos conjiciam, Lilii figuram adverto. Adverto in nummo Imperatoris Æmiliani Deam hancce Lilium prætendentem, cum hac inscriptione: SPES PUBLICA. Adverto in nummis Claudii Deam similiter pallam sinistrâ, dextrâ Lilium tenentem, cum eadem inscriptione: SPES PUBLICA. Adverto in nummis Alexandri, Adriani Lilium cum hac qvoq; inscriptione: SPES AUGUSTA, SPES populi Romani. Ad horum imitationem Academia nostra Coronam Principi Infanti nectendo Lilium per me adjungit, cum simili inscriptione: SPES PUBLICA, SPES Totius Megapolitanæ Regionis. Sperat enim Novellum Principem Familiæ Illustratorem, æqvitatis templum, religionis aram, consilii oraculum, prudentiæ ædem, moderationis domicilium, fortitudinis sedem, omniumq; (uno verbo) virtutum thesaurum futurum. *Sperat illa, qvæ magnis laboribus, periculis multis, virtute egregiâ à Majoribus parta sunt, tuiturum atq; auctum, neq; unqvam per socordiam parvo tempore decoctum, qvicqvid est ante celebris famæ ac existimationis conqvisitum, verùm factis ac virtutibus indolem Principis ornantibus ulterius promoturum.* Et qvidnî tam insignem SPEM de infante Principe conciperet? qvam qvondam de Celsissimis ejus fratribus

CHRI-

CHRISTIANO, CAROLO, GUSTAVO ADOLPHO non frustra concepetat; qvi priores spes tanti nominis munimenta augustæ domus, præclaris animi dotibus in immatura licet ætate resplendent, & in hanc diem cum omnium nostrum voluptate vitam degunt. Qvam ut Supremus Vitæ Arbiter absq; dispendio vitæ & fortis in spem Illustris propaginis proroget in longævam ætatem, animitus vovemus. Qvidnî & in hac Infantuli BERNHARDI SIGISMUNDI ætate sublimibus spebus sese confortaret. Cum ætatis annos præstolari, ubi matura virtutis ætas, indignissimum sit, annorum adhibere supputationem, ubi jam probitas in ipsis cunis cursum incepit, nunqvam ferendum. Non desiderabat Philippus Macedo multos in Alexandro Magno annos, in qvo adhuc puerulo magnam virtutem cernebat. Non Roma in Scipione aut Pompejo cursum ætatis attendébat, qvos primæ virtutis impetu, aliorum prævertisse laudes animadvertebat. Neq; nostra Universitas ætatem infantis attendit, illiq; licet in cunis vagienti Lilium insignum optimæ jam SPEI porrigit. Turpe esse sciens præsertim Principem annis metiri, cùm non, veluti aliæ viles abjectæq; animæ, serò Principum filii in viros evadant, cùm hæreditariam virtutem & in cunis habeant, & dum alii infantiam vitæ vix adjiciunt, in hâc ipsi virtutem explican-

plicantes virî grandævi fiant. Lilii pulchertimi candidus color, (ut Nicander Alexipharmac: ait) Profanas Veneres averſatur, vitæq; ab omni illecebrarum maculâ immunis ac beatis illis mentibus ſimillimæ Hieroglyphicum exiſtit. Qvare Lilium Academia Principi infanti donans ſperat firmiter, ſpurcas illum voluptates, blandiſſimas dominas, omnium malorum capita, lenas illas ſui & veneficas repudiaturum. *Sperat deterſis vitæ labeculis illum veluti Lilium nitidiſſimum cœleſtibus radiis ſe objecturum.* Sperat mentem pleniori luce colluſtratam in rerum divinarum contemplatione defixurum. Sperat illum Beatarum mentium Lilio puriorem vitam agentium, cœleſtes delicias in hâc fragili corporis argilla meditaturum. Sperat nullum cum impura Venere, cum fœdiſſima voluptate, ad inſtar Lilii, commercium habiturum, illamq; prorſus enormibus ſordibus mentem inqvinantem, ultricis conſcientiæ furias, ſqvalorem & mœſtitiam ſuis amatoribus præclarum (ſi Diis placet) relinqventem authoramentum, aſpernaturum. Qvid enim ſunt Reges & Principes aliud qvàm Dii qvidam in terris, & hominum Arbitri? *hominibus majores, uno Deo minores?* In his Divina illa Majeſtas qvendam ſublimitatis ſuæ radium voluit elucere, ut populorum veneratio jam tum in terris per eos ſibi repræſentaret, qvod in ipſo Cœlo adoraret.

Unde

Unde si voluptatis lenocinia, blandiente & proditoriâ arte omnes generositatis nervos succidentia, in ipsumq; mentis Palladium per fraudes invadentia, si, inqvam, ad instar purissimi Lilii repudient, præstantissimum ac pulcherrimum Dei munus existunt. Restat jam Palma, ultimum in serto infanti Principi porrecto locum consultò occupans. Palma salsum solum (ut naturæ exploratores ajunt) amplectitur, à simo verò remota esse censetur. Sic Princeps novellus Virtutem sale Sapientiæ conditam totis præcordiorum meditullîis prosequi, nullove rerum mundanarum vitiorumq; simo inqvinari tenetur. Qvid etenim est absq; Sapientia Potentia aliud, qvàm mera pernicies? Qvid absq; Virtute Principatus, qvàm mera Tyrannis? loqvitur Unus de Reipublicæ literariæ Triumviris Erasmus Roterodamus. Sapientia Virtuti concatenata Principem donat immortalitatis munere, ut & vivens orbem terrarum impleat, & mortuus in memoria vivorum vivat, semperq; seris ac tardis posteris relinqvat, qvo se vixisse qvondam testetur. Virtus qvoq; Sapientiæ annexa divinum qvasi Principem in hisce rebus humanis reddit, hâc exornatus velut Palmâ mentem à simo rerum turpissimarum revocat, à spurcitie vitiorum abstrahit, ad honestum omne impellit. Hâc condecoratus, velut palma in salso loco collocata cæcas

morta-

mortalium mentes meræ vanitati implicatas, assiduis fortunæ tempestatibus agitatas, se verò in nobiliori sapientiæq; studiosissima Orbis parte situm, nullas amplius expavescere clades conspicit. Et si Ægyptiana illa volucris Ibis dicta in Palma (ut Ælian. lib. de animal. c. 29.) ad evitandas feles nidum construit: Sic generosa Principis Indoles in Virtute Sapientiæ conjuncta, in excelsis divinisq; cogitationibus, casibus cunctis humanis fortunâq; adversâ velut superior securo ac defæcato ab omni metu animo conqviescit, illa qvæ apud Silium Italicum extant jure merito usurpans verba:

Casta mihi domus, & celso stant colle penates,
Ardua saxoso perducit semita clivo,
Aspera principio.

Verùm dum ad accuratiorem judicii lancem Palmam pondero, æqvissimâ sanè ratione, nec absq; mysterio Academiam Principi Infanti Palmam offerre video. Alluisse mihi videtur ad Palmam qvandam æneam inter cujusdam templi à Cypselo consecrati donaria positam, ranas ad suas radices sculptas qvasi despicatui ducentem. Qvid enim aliud est Illustrissima Domus Megapolitana, qvam inæstimabile qvoddam donarium cœlo ipso Orbi Megapolitano, imò S. Romano Imperio concessum, qvæ si maledicorum velut ranarum infestis clamoribus lacessitur, ut Palma

ænea futiles illas ranas fastidioso contemptu ulciscitur, ne illis puritatem suam inquinet, vel ne voti compotes efficiat, si adversus ipsas vel bilem minimam concipere dignetur. Hoc enim propositi semper Regia verè Megapolensium Ducum Palma habuit, ut nunquam velut ænea cum abjectis ranis, cum disparibus æmulis, nullam ad rem quam ad coaxandum idoneis congrederetur, illasq; quasi infra dignitatem positas, sculptas tantùm quæ nocere nequeunt, non verò vivas autumaret. Palma adhuc deorsum urgentibus etiam & prementibus nõ inflectitur, sed adversus quodlibet pondus animosè resurgit, sursumque sese erigit, ita ut hac de causa in certaminibus Palmam pro signo Victoriæ censere antiquitati placuerit. Quod si verum est, jam Academia Infanti Principi Palmam in Corona donans vult exploratum reddere Orbi, Inclytam Ducum Megapolensium familiam nullâ rerum adversarum mole ad instar palmæ deprimi, eundem semper tenorem conservare, infractâ mente quicquid fortuna offert tolerare. Novit enim plebeias solùm arbores aut plantas nunc nimio mœroris pondere inflecti, nunc temerariâ spe vanâq; arrogantiâ efferri solere. Palmam verò Megapolitanam supra vulgus erectam necessitati obsequi masculo pectore, quocunq; fatorum series trahit ire, nullisq; periclis, nullis calamitatibus cedere. A cladibus enim

enim ipsis ac ærumnis virtute solâ compacta sumit suum robur, qvasiq; palma qvò magis urgentia recipit, eò firmius minimè cedens, subsistit, atq; radice constantiæ profundissimâ actâ, terram comprehendit robustius. Sed ut Coronide adornem exile munus, Legit video Academia in *Pierio Valeriano* Palmam dejectam, vel casu aliqvo vitiatam jacturam clademq; portendisse; (uti de illa æneâ ab Athenienſibus in Delphici Apollinis templo in victoriæ ex Medis reportatæ monumentum dedicata Plin. l. 17. c. 25. refert, qvæ ante illam infaustam ac deplorandam contra Syracusanos expeditionem ab inauspicatis avibus corvis, omnibus ferme fructibus ex auro constantibus orbata erat.) Repertam verò præter spem, subitòq; exortam legit prosperitatem secundosq; eventus pollicitam fuisse. (qvalis illa fuit Augusti Imperatoris ante domum ipsius inter juncturas lapidum enata, qvam felicissimi augurii causam in compluvium Deorum Penatium transtulit, utq; coalesceret summis viribus laboravit.) Sertum itaq; ex Palma contextum Principi Infanti per Musas Balthicas Sverinum mittens, revocat sibi in memoriam non absq; intenso pectoris mœrore insignes illos & in loco æternitatis collocatos Principis Infantis Majores, Parentes, Consangvineos veluti palmas Virtutibus Heroicis in hisce rebus floruisse, florereq; adhuc,

ſolutâ contagione corporis, cœlo & ſempiternæ gloriæ reſtitutas; Sed per caſum mortis è rebus mortalium dejectas, & in feralem poteſtatem indomitæ Parcæ redactas, nihil niſi ingentia mala, qvæ nuperrimis temporibus Megapolis experiebatur, (ad qvorum adhuc recordationem tota terrore concutitur,) præſagiiſſe, nihil niſi clades & pernicies Provinciæ portendiſſe. Cùm verò hiſce temporibus natam in ſolo Megapolitano, & in ædibus M. D. Megapolitani repertam eſſe, vel ſatius ex ipſo Beatarum mentium domicilio delapſam cernit; jam lætabunda, frænumque mœſtitiæ injiciens omnem impetum anguſtiarum à Columnis inclytæ domus Megapolitanæ, & à ſuis cervicibus averſum eſſe auguratur, jam ſibi hilariorem fortunam promittit, & hancce novellam palmam ridentis fortunæ exemplum, excitatæq; felicitatis apertum eſſe ſimulacrum ſpondet. Hoc eſt SERTUM, qvod tibi BERNHARDE SIGISMUNDE Academia per me publicum ſuum interpretem offert. Tu jam, licet hoc exili donario minimè indigeas, cùm Oceanus ſatis in ſe ipſe aqvarum contineat, neq; ut aliunde expoſcat, opus habeat, cùm nihilominus candidâ, obſeqviosâ, cunctaq; optima vovente mente illud largiatur, tantò benignius modica hæc interpretare, qvantò præſtantiora meretur Illuſtris tuus Princepsq; animus. Et eò jucundius faci-

faciliusq; ſume, qvò cum majori cultu ac religione tibi exhibetur, Corde nimirũ Academiæ (juxta uſitatam Ægyptiorum Sacerdotum picturam) in thuribulum ardens, odoribusq; fragrantiſſimis poſito, & ut explicatius loqvar Corde ardentiſſimis precibus æſtuante, votaq; intima ac ſincera redolente. Cor ponit in thuribulum Academia, SERTUM hocce tibi tradendo, dum Cœleſtem Regum ac Principum Præſidem ſupplex veneratur, ut te novellam Auguſtæ domus Megapolitanæ progeniem cum Illuſtriſſimis Parentibus, Celſiſſimisque Fratribus ac Sororibus prolixiſſimè mortalium cœtui convivere patiatur. Cor ponit in thuribulo, dum precatur fervidè, ut Pater Benigniſſimus celſiſſimum Propaginis Megapolitanæ Stemma fecundet, & tum priores feliciter adoleſcentes palmites CHRISTIANUM, CAROLUM, SOPHIAM AGNETEM, JOANNEM GEORGIUM, ANNAM MARIAM, GUSTAVUM RUDOLPHUM, FRIDERICUM, tum noviſſimam hancce in cunis vagientem à triſti ſortis curſu vindicet, ſeròq; tandem nec ipſis nepotum nepotibus ſcientibus illuſtriſſimas haſce animas natali cœlo reponat. Cor ponit in thuribulum, ut dulcis qvondam Megapolis, eheu! jam verè ad incitas redacta meliorem tandem ſortem ſentiat, oculisq; à lacrymis exterſis reverſæ tranqvillitatis faciem, cum hacce Academia & Urbe

intueatur. Cor ponit in thuribulum, ut ærumnosæ Germaniæ ſtatus in hilarioris fortunæ ſpecimen ſeſe Divinâ ope erigat, ut hoc flagellum, qvod furibunda Bellona per tot annorum ſpacia crudeliter in ipſam vibravit, à cœlo capiteq; ejus ad Garamantas & Medos abeat, abeat in eos potius, qvi in nomen Crucifixi JESU irreconciliabili odio conſpirârunt, & tandem Sol qvietis jucundæ, Sydus tranqvillitatis exoptatæ, ei affulgeat. Non aſperneris hocce cor noſtrum in thuribulum poſitum peroptime Deus. Non enim res qvædam vilis naucique pendenda in thuribulum ponitur. Ponitur illud in thuribulum, qvod tuam divinam Majeſtatem in hiſce caducis rebus adumbrare videtur. Ponitur Supreme Motor, motor in hoc microcoſmo à nemine motus. Ponitur maxime Regum Rex, Regulus ad clavum parvi hujus mundi ſedens, Spirituumq; vitalium ac animalium copiam præbens. Hunc jam in thuribulum poſitum, votis nimirum hiſce flagrantiſſimis plenum, ſume placidiſſimâ tuâ divinâq; mente, vota hæc ſecunda, ac exoptato eventu recrea, propter æviternam nominis tui gloriam, & permanentem benedictionem,

IN ÆTERNUM ET ULTRA.

DIXI.

SERMO VII.

Brevis

In luctuosum ac præmaturum

ejusdem Illustrissimi Infantis

BERNHARDI SIGISMUNDI

Ducis Megapolitani &c. &c.

Obitum.

Plura vide in Syllabo Sermonum.

CUm nuper summus ille fatorum Dispensator, Augustam Principum Megapolensium familiam Sobole Eximiâ BERNHARDO SIGISMUNDO auxisset, illamq; supra Megapolitanum Horizontem aliis lucidissimis Syderibus associasset, in summam memet cum totâ Academiâ lætitiam effundebam, tum fortunam collaudando, qvæ cum rugatam frontem per tot annorum spatia Megapoli præbuisset, illam tandem benigniori oculo aspexerat, publicaq; lætitiâ ac munere præteritas ærumuas rependerat; tum felicitati Prosapiæ Megapolitanæ cordicitus gratulando, qvæ ad immortalitatem, recenti tunc progenie, atq; ad ipsam æternitatem vivo gressu contendere videbatur. Sed proh dolor! versa est in luctum Cythara nostra, publica illa voluptas brevi intimos animorum recessus deseruit,

illosq; subitò ingens possedit mæror, dum tam veloci Infantnli incluti morte fortunam ad pristinum rigorem remeare, novaq; clade Megapolim afficere conspicimus, qvam nuper publico donario, sed proh dolor! citissimæ vicissitudini obnoxio recreaverat; dum deniq; Illustrissimam Megapolitanam stirpem à vivo illo cursu, ad posteritatem destinato, per Celsissimi hujus Infantis obitum retardatam licet ad tempus videmus. Qvid itaq; mihi publico doloris interpreti hodiernâ die, qvâ Suprema Justa infantulo persolvuntur Principi, Mense Novembri nuper elapso, hancce mortalitatem deponenti; qvid inqvam faciendum est? idem existimo, qvod me debitus erga Illustrissimum Infantem affectus, nullius invitationis specialis indigus, nomine Academiæ præstare jusserat, dum eandem mortalitatem, qvæ ad seros nepotes juxta vota nostra, transmitti debebat, Mense præterito Januario auspicaretur. Cui qvandoqvidem Vitam caducam inchoanti *Coronam* ex Oleâ viridi, è Liliô svavissimô, è Palma glorioßissimâ, à Musis Varniacis, Panegyrum tunc lætè occinentibus, contextam obtuleram, eandem nunc ipsi vitam æternã incipienti, ex solo Amarantho Rosaque, ab eisdem Musis, nunc in Lessum ac Suspiria resolutis confectam, & qvidem *brevißimam* exhibebo. Lex enim antiqva vetuit. *Ne longæ mortuis Coronæ*

adhi-

adhiberentur. Tu qvidem Illustris animula, in suaviſſimo illo æternitatis ſinu conqviescens, curioſam hanc induſtriam infra te contemnis, neq; hujusmodi officiis qvantumvis piis, vel commoveris vel tangeris. Me tamen adverſus tuam infantiam, morte citiſſimâ extinctam, teſtari pium obſeqvium decet, cui ſi vixiſſes exhibuiſſem debereq; me faſſus fuiſſem devotæ reverentiæ promptitudinem Vos jam O. O. A. S. perſemihorium adeſte animis auribusq; benignis, mei ingenii tenuitatem, veſtrâ benevolentiâ ſublevate. *Amaranthum* inprimis offero novello Principi difficulter marceſſibilem ab Ægyptiis ſummoperè veneratum, ac pro prolixæ alicujus nullaq; infirmitate violatæ ſalutis Hieroglyphico habitum. Offero inqvam *amaranthum*, edoctus Vetuſtiſſimam gentem Ducum Megapolenſium, Amaranthi viriditatem, ad hæc usq; tempora æmulatam eſſe, Qvam ſive qvidam à *Caroli Magni* imperio, cujus caſtris ſeſe devoverat *Bilungus* poſtmodum Obetritarum Rex Vigeſimus Sextus, ſuam radicem ſumſiſſe loqvantur, ego qvi antiqvitatis decus, nomenq; Illuſtrium horum Heroum augere non diminuere, pro mea tenuitate teneor; ego inqvam, cum fide digniſſimis ab Anthyrio Illam pullulaſſe affirmo, qvi à Celeberrimo illo regnorum domitore ALEXANDRO MAGNO, ex Aſiâ, per mare Venetum ac Balthicum patrios

lares repetens (ne unqvam eum ejusque eqvum famosum vel minimæ oblivioni amandaret) caput Bucephali in velo navis, Gryphonisq; aurei insigne in prorâ ejus, (qvod adhuc Illustrissima Megapolitana domus retinet) duxit, sicque aulâ & regno roboratis, primus ad clavum Herulorum ac Vandalorum, in hisce locis sedit. Bis mille jam numeramus annos, cum *Amaranthus* hic primò in florem indutus, continuâ serie sese auxit, ac in illustres alios Heroes, usq; ad hunc infantulum explicavit. Qvos sanè *Amaranthos* si ab Atavis saltim attingere potero, felicem me dicabo, idemq; præstitisse arbitrabor, qvod pictor ille industrius, unicum saltim Gigantis digitum in tabulâ parvâ depingendo, effecit, ut nimirum ex eô ipsô, qvanta qvamq; vasta moles totius corporis fuerit, facillimè qvivis judicare posset. *Amaranthus* erat ex serie paternâ infantis Principis Atavus MAGNUS ille III, cujus *Amaranthi* beatissimo pectori, infixa erat qvædam divini amoris fax, qvæ noctes diesque novis ignium succrescens alimentis, suas undiq; terrarum flammas ventilabat; ventilabat ROMÆ qvam bis, ventilabat *Hierosolymæ* qvam semel (ô præstans religionis illo seculo simulacrum) adibat. Hoc amore *Amaranthus*, hic tam diu arsit qvam diu vixit, & qvoad licuit, creditum sibi Orbem Megapolitanum, cui Stargardiam Provinciam adjecit, instat

purissi-

puriſſimi Syderis illuſtravit, dedit obſcuris lucem, miſeris ſolatium, Auguſtiſſimis Imperatoribus *Friderico* & *Maximiliano* tum in Romani Imperii comitiis, tum in aliis Eximiis Conſeſſibus ornamentum. Et anteqvam Cœlesti horto inſerendus erat *Amaranthus* hic, tribus ſeſe floſculis, trinâ prole defuncti Principis infantis *Magnis Patruis* adauxit. Primus erat, HENRICUS ille placidiſſimè gubernans, PACIFICUS Patriæq; Pater nuncupatus, Secundus ERICUS ille, literatus dictus, virens adhuc ſvaviſſimeq; fragrans, in Nobiliſſimo illo, ac antiqviſſimo Muſarum Bononienſium, in Italiâ, Viridariô, Virens & in noſtro ad hanc diem Roſeto Balthico, cujus Sceptra, purpuram *Rectoratus Magnifici*, cum immortali Roſeti hujus ſuiq; nominis gloriâ geſſit. Tertius erat ALBERTUS ille Principis infantis *Abavus Formoſus*, nuncupatus, maternâ qvoqve ſtirpe ex Sophiâ ERICI II. Pomeranorum Ducis filiâ progenitus; *Amaranthus* profectô, non ſolum corporis, velut ALCIBIADES alter, verum & animi dotibus venuſtiſſimus, famigeratum nomen ſuum, cum ipſis terminans Syderibus. Venio jam ad ſummæ dignitatis *Amaranthum* inter alios fratres, ex prædicto ALBERTO & ANNA, Electorum Brandeburgenſium Proſapiâ oriundâ JOACHIMI I. filiâ, natos; inter nimirum UDALRICUM æqviſſimum, CHRISTOPHORUM

magnanimum, CAROLUM manſvetiſſimum, aliamq; utriusq; ſexus Sobolem. Venio inqvam ad Principis BERNHARDI SIGISMUNDI Proavum JOANNEM ALBERTUM, qvi ſummâ, qvondam, Delubrum hocce Eruditionis Palladium Sapientiæ, poſt primos illos Anno 1430 ejus fundatores JOANNEM & ALBERTUM, munificentiâ proſeqvebatur. Sciens illa eſſe beneficia (juxta Petrum Aldobrandinum Cardinalē) gratiora, qvæ nunqvam fuere petita, eòq; magis naturam DEORUM immortalium attingere, qvi ſuo placito, impenſius *Muſis*. præcipuè qvæ honeſta, non qvæ qvæſtuoſa ſeqvuntur, benefacere conſvevit. Ob qvam inſignem munificentiam. *Amaranthus* hic, (ut cum Horatio Ode 2. lib. 2. loqvar,)

Vivet extento ALBERTUS avo
Notus in Muſas animi paterni
Illum aget penna metuente ſolvi
Fama ſuperſtes.

Seqvitur jam *Amaranthus* ille Celſiſſimꝰ ex ANNA SOPHIA Brandeburgicâ prodiens JOANNES, Principis nuper mortalitatem deponentis *Avus*, qvi implacabilis mortis vehementiâ, poſtqvam ſibi fœdere conjugii junxiſſet SOPHIAM, Regiô Ducum Holſatiæ ſangvine oriundam, ex eâque duos Patriæ Patres ADOLPHUM FRIDERICUM, qvem DEus diutiſſimè ſervet, & JOANNEM AL-

BER-

BERTUM, qvem ærumnoſo vitæ hujus ergaſtulo ſolutum olim luxit A. D. 1636 Megapolis, filiamque ANNAM SOPHIAM reliqviſſet, rebus hisce humanis erat exemptus, qvas tum pietate, tum prudentia, tum pacis curâ exornaverat. Hi omnes erant *Amaranthi* viridiſſimi, Cœlo jam ipſi inſerti, & nobiliſſimâ ſui parte æternitatis nectar deguſtantes. Adſunt adhuc viventium conſortio & plures alii, non degeneres tantorum HEROUM ſucceſſores, non poſteriorem famæ gloriam promeriti ac conſecuti. Adeſt Illuſtriſſimus ac Celſiſſimus Parens, Illuſtris infantuli ADOLPHUS FRIDERICUS Dux Megapolitanus &c. &c. Dominus noſter clementiſſimus, cujus candidum pectus, hodiernâ die indicibili dolore obnubilatum eſſe credo, licet inferiorem ſaltim, *Amaranthi* hujus partem morte arefactam conſpiciat, illamq; communi omnium matri hodie reddere conſtituat. Qvis hujus *Amaranthi* Spartanam in atrociſimis fortunæ inſultibus, mentem? qvis benignitatem? qvis ergà hanc Univerſitatem liberalitatem? munificentiam? munificamq; inter horum temporum calamitoſorum anguſtias voluntatem? qvis alias Depoſitore publicæ ſalutis dignas Virtutes, dignâ laude celebrabit? Ego certè non poſſum, ſilereque de illis ſatius judico, ne ob exilem & tenuem laudem meam præjudicium patiantur ſuæ dignitatis. Adſunt,

sunt, & ex maternâ Prosapiâ *Amaranthi* fragrantissimi, adest, Celsissima Princeps MARIA CATHARINA, ex Stemmate Principum Brunsvicensium ac Luneburgensium, in antiqvâ Saxoniâ celeberrimorum, ex illâ *Guelphorum* famosissimâ domo progenitorum, HEROUM, me herculè tantæ celebritatis, ob suspicienda per totam Bavariam & Saxoniam facta, ut eorum fama, tum è rebus mortalium decedentium, tum adhuc in vivis florentium, ad omnes telluris oras sese penetrarit. Qvid jam dicam de aliis *Amaranthi* hujus, infantuli nempe Principis, nuperrimè huic mundo valedicentis, fratribus nempè ac sororibus mellitissimis, qvid de juvenili hoc ex ANNA MARIA FRISIA, Principum Megapolensium cætu? Qvid de CHRISTIANO? qvid de CAROLO? qvid de SOPHIA AGNETA? qvid de JOANNE GEORGIO? qvid de ANNA MARIA? qvid de GUSTAVO RUDOLPHO? Qvid deniq; de FRIDERICO, BERNHARDI SIGISMUNDI, æternæ memoriæ Infantis fratre, ex hac felicissimè vivente MARIA CATHARINA, præclarissimi Stemmatis Luneburg: HEROINA progenito? Qvos omnes odoratissimos flosculos feliciter natos ac floridè surgentes, tueatur supremus ille Regalium Arbiter, ab omni contagioso mortiferoq; sydere, ut Celsissimæ suæ prosapiæ honorem, in Megapoleos totius prosperitatem, in Romani Christianiq;

Orbis

Orbis commodum germinent diutissimè. Nonne jam justâ de causâ *Amaranthum* florem in Coronâ infanti demortuo offero? qvi meliore sui parte cœlo repostus, inter illos flores cœlicos æviternum virens, ac felix ævum agit, qvod nec annorum terminis nec felicitatis modo circumscribitur. Sume à me qvæso inclyte infantule, *Amaranthum* hunc, qvem tibi inter humanas licet angustias, devoveo, congratulando tenellis tuis pedibus, lubricisq; poplitum inter nodiis, qvanqvam nondum satis solidatis, qvod tam veloci cursa, ad illum cœlestem Hortum properaverint, in qvô tibi ad clepsydram æternitatis vivere, vigere, perennare licebit, cum ego deplorandus mortalis, tui consortio cum omnibus bonis destitutus, inter hæc mortalium propudia, in hoc turbarum labyrintho in miseriarum cæno, in impudentissimæ calumniæ invidiæq; volutabro, volutari adhuc cogar sed præsto jam adsit & *Rosæ* flosculus fragrans, qvem qvoq; non injuria infanti BERNHARDO SIGISMUNDO, cõsecro. Qvi potuisset instar *Rosæ* qvotidie sese pulchrius explicare, eò svavius ingenii sui dotes, faventi cœli clementiâ, distendere, eundemq; semper tenorem cõstanter servando ad solidâ immortalitatis gloriam assurgere, nisi velut *Rosa* tam citò occubuisset. Potuisset velut Rosa, suâ fragrantiâ, sua benignitate sese in pectora omnium insinuare, in omnium corda influere

fluere, gratissimaq; qvasi servitute ad amorem mancipare. Potuisset *Roseo* semper loqvi ore, omnesq; purpuratos satrapas manſuetudine ſupereminere, ac illam omnibus victoriis ac triumphis anteponere. Sciviſſet enim tempeſtivè infantulus, nullâ virtute, humanitatem melius divinæ indolis ſimilitudinem attingere, qvam ROSAS benignitatis ac clementiæ cuiq; exhibendo, illarumq; pomœria longè ac latè propagando: Neq; hæc cauſa, ROSAM funeri Illuſtriſſimi infantis dedicandi detrivio eſt A. A. Velut enim ROSA fœdiſſimo ſcarabeo, ſuo odore, necem conciliat. Sic Regia domus Megapolitàna, homines omni pudore dirutos, infame illud genus ſcarabeorum, morſibus Calumniarum deditum enecat, itaq; ſublimitate ſuæ virtutis, ſuprâ fatalem ſcarabeorum luem aſſurrexit, ut ejus omnem contagionem eviter. Fruſtranei ſunt irritiq; conatus tui ô fœda ſcarabeorum cohors, fœtoribus tuis nunqvam eſt penetrabilis fama Megapolitana, Odori hujus ROSÆ à bis mille annis Orbem replenti, nunqvam officere potes. Temere tuas ſordes affricare audes ROSÆ celſiſſimæ, cujus odor fragrans, tantum abeſt, ut ſe conſpurcari ſentiat, ut potius indè colligat ſegetem ac materiam nominis fragrantiſſimi, ſibiq; impendio placere teneatur, ſi te aliqvando fœtidum funeſtumque vermem cernere poſſit, odore ſuo redundantiſſi-

tissimo, æqvo DEI judiciô enecandum. Qvi scarabeorum cætus carnifici devovendus, abeat satius illô qvô monstra piacularibus sacris lustranda abire coguntur, anteqvam in infami illius argnmento diutius versor, pluraq; verba de illis qvos jam furiæ interiores satis ulciscuntur, emittam. Verum cum jam in miseram vitam nostram oculos conjicio. Nonne æqvissimâ ratione ROSAM defuncto BERNHARDO SIGISMUNDO præbeo? qvid aliud vita nostra est qvam ROSA cujus vita & pulchritudo diaria est, & vix ultra diem minimum manet. Clamat idipsum obstupescens fluxam vitæ humanæ, ROSÆ hujus caducæ, brevitatem, clamat inqvam *Ezechias per Esaiam* cap. 38. v. 12. *De mane usq; ad vesperam finies me*, clamat *Regius Psaltes*, Ps. 101. v. 12. *Dies mei sicut umbra declinaverunt.* Clamat *Hussæus Princeps*, c. 14. v. 2. *Homo qvasi flos egreditur & conteritur*, flos inqvam ROSÆ debilis. Clamat deniq; idem c. 9. v. 25. *Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt & non viderunt bonum.* O summam vesaniam, qvæ non perpendit hujus *Rosæ* velocitatem! Hesterni qvippè sumus, & ignoramus, *qvoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram. Et nulla est mora*, sicut *Rosa* labuntur, *& nulla est mora.* Nos epulamur & choreas ducimus. *Et nulla est mora.* Nos qvieti poculis indulgemus, & ad ipsum usq; meridiem sternimus.

mus. *Et nulla est mora.* Nos temporis prodigi fabulamur, & aliud ex alio delicatum otium comminiscimur. *Et nulla est mora.* Cadit, fugit, præterit vita velut *Rosa*

Nemo tam divos habuit faventes
Crastinum ut posset sibi polliceri.

Amaranthus, ROSÆ qvondam (ut Poëtæ inqviunt) ad situs, dixit. O qvalis flos es *Rosula?* qvam formosus, qvam amabilis? beatam te jure dixerim, ob odorem, formam, colorem, ô Regina florum. Cui ROSA. Ego qvidem *ô Amaranthe* formâ præniteo. Sed tempus brevissimum vivo, & qvamvis nulla me manus violet; nihilominus tabesco. Tu vero continuo flores, semperq; recens vivis, malim ego minus habere formæ, & plus nanciscì vitæ. Secedat paulisper Poëtarum fabula. Sola & aperta in apricum prodeat veritas, qvæ Vitam nostram ROSAM esse brevem & fluxam ostendit; qvam licet aliundè nulla vis extinguat, suo tamen defluxu sensim evanescit

Labimur sævo rapiente fato
Ducitur semper nova pompa morti

Noverat qvondam qvidam non postremæ inter literaros notæ, Vitam hanc nostram citius qvam ROSAM ad occasum pergere; noverat adinstar ROSÆ momentaneam & perbrevem esse, qvi interrogatus qvalis nam esset vita hominis? cum se

se parumper ostendisset, mox se abscondit. Sed unus præ aliis hoc ipsum in Orbe Megapolitano declaravit infans inclutus BERNHARDUS SIGISMUNDUS ille ipse, propria experientia demonstravit, Vitam suam nihil aliud, nisi ROSAM in hoc mortalium consortio fuisse. Dum etenim sese mundo huic, cum summâ voluptate, ostendisset, vitamq; hanc salutasset, hujus anni 1641, Januario mense, die verò 21: mox sese à conspectu nostro, hoc Mense Novembre, cum ingenti mærore subtraxit, vitamq; adinstar *Rosæ* finivit. Hanc fragrantissimam *Rosulam* Clotho inexorabilis, cum summo Illustrissimorum Parentum gemitu sustulit, dulcissimum pectorum consortium funesto divortio disrupit, hodieq; in feralem foveam projecit. Qvanqvam tam horrendam calamitatem, parte hâc solum vicissitudini obnoxiâ, in qvam solam mors imperium obtinet, hæc ROSA, perpetitur; fragrat verò svavissimè translata ac plantata in patrio solo, fragrat pristino illi loco redonata, unde hæc *Rosula* nobilissima, in hasce terras fuit transmissa, Et non solum fragrat, sed feliciore translatione vegetatur, & jam non brevitate durationis, caduca & fugax, sed in æternitatis hortos, in prata purpureis rosis consita, transplantata. Partem saltim caducam hujus ROSÆ humi prostravit crudele

mortis telum, partem nihilominus alteram lethi mortiferi ignaram, jam sacrat immortalitas. Jam hæcce *Rosa* omnium Scarabeorum, invidorum ac malevolorum, citius qvàm experta est sollicitudinem procul abdicavit, sempiternaq; qviete gaudens, cum ipsâ æternitate conjungitur; ità ut non ignavo luctu, imbecilliq; desiderio *istius Rosæ* occasum prosequi, sed gratulari potius beatitati illius, memoriam hujus *Rosæ* piè & inviolatè venerari, monumentumq; ejus *Rosis* juxta ritum antiqvum, spargere deceat. Est inscriptio *Ravennæ* in Italiâ talis. *Et arca in qvâ posita est* FLAVIA *salutaris Uxor ejus Rosis exornent.* Similia ego supra Sepulchrum, qvô hodiernâ luce, infans BERNHARDUS SIGISMUNDUS conditur, hæcce inscribere possum. ET ARCAM IN QVA POSITUS EST DUX MEGAPOLITANUS BERNHARDUS SIGISMUNDUS *Rosis exornent.* Exornent Musæ Varniacæ, in sempiternam *Rosulæ* hujus recordationem, qvæ *Roseam* semper *Megapolitanæ domus* clementiam, *Roseam* beneficentiam, *Roseum* in ipsis tristissimis temporibus pectus, *Roseum* denique os experiuntur. Congratulentur huic ROSÆ, qvod sese tam citò vulgo excerpserit, & in delicatissimum illum hortum, tempestivè recesserit, qvod jam de omnibus invidiæ tempe-

stati-

statibus, de omnibus calamitatum adversitatib⁹, deq; ipso occasu triumphet. Congratulentur huic *Rosæ*, qvod cum ei nondum nocivos, in hoc spineto afflatus sentire licuerit, qvod inqvam ad Supremum æviterni Vireti fastigium ascenderit, ad illudq;, superato hoc mundanarum miseriarum turbulento loco, qvaternis etiam (ut ita loqvar) pedibus puerulus cucurrerit. Mitigate jam ægritudinem vestram *Illustrißimi Parentes*, nuncq; excelso testimonio expromite indolem magnanimæ virtutis & constantiæ. Non vos adeò commoveat, Infantuli hujus obitus. Non enim *Amaranthus* hic viridissimus, non hæc ROSA fragrantissima, adeo magna & nobilis esse potuit, adeòq; securis radicibus firmata, in qvam fatorum violentia non valeret, scilicet ad hunc scopulum allisa feruntur mortalia qvæqve. Inferalem indomitæ mortis potestatem conjiciendum est, qvidqvid mortalium oculis splendidum, qvidqvid insigniter enitescit. Si vel authoritas vel splendor generis, vel qvæ his anteit, innocentiæ Virtus, vel qvidqvam aliud, qvod suo ambitu humana felicitas comprehendit; si inqvam immunem præstarent qvenqvam ab hac sorte & tributo, certè, non marcuisset morte tam citò Illustris hic *Amaranthus* non arescceret tam subitò fragrans hæc ROSULA, cujus gratia hæc lugubris

hodierna solennitas peragitur. Lætitiâ satius Illustrissimi Parentes perfundamini, cum non Illustrem filiolum amiseritis, qvi è misero ærumnarum labyrintho assertus est æqvissimis vindiciis in æviternam serenitatem cœlestis paradisi, cum non excesserit è vivis celsissimus infantulus qvi ex hac saltim lugente fætidaq; palude ad sempiternam felicitatem, ex mortalitatis carcere, ad vitam nec metis nec modo beatitudinis circumscriptam commigravit. Tu verò Supreme DEUS, opitulare huic afflictæ Provinciæ, averte procul tam funesta & lugubria funera, illis debita, qvibus immortalitatem, & qvoad etiam inferiorem partem lubenter largiremur, si absconditus ille fatorum ordo, pectorum nostrorum ardori responderet. O DEUS, Regum ac Principum Præses potentissime, *Illustrissimum ac Reverendissimum Principem ac Dominum*, DN. ADOLPHUM FRIDERICUM, Ducem Megapolitanum, Principem Vetustæ Gentis Henetæ, Administratorem & Comitem Sverinensem, Rostochii & Stargardiæ Dynastam, Dominum nostrum Clementissimum, & Illustrissimam ac Celsissimam ejus Consortem, MARIAM CATHARINAM, &c. &c. Infantis mortui Parentes Eximios, cum Illustri prole, ac totâ progenie Megapolitanâ, ab infausto iniqvæ

sortis

fortis insultu vindica & tuere. Urbis hujus, totiusque Germaniæ calamitatem remove, immissâ tandem efficaci consolatione, bellum hoc in Medos satius & Garamantas, qvi in odium nominis JESU NAZARENI implacabiliter conjurarunt, converte, pacem verò auream ac perpetuam inter Augustissimum Romano Germanicum Imperium, ac inter potentissimum florentissimumvè SVECIÆ regnum, pacem, inqvam, utrique huic, celebrique Parti honestam ac gratam concilia, ac in omnem æternitatem confirma.

DIXI.

SERMO VIII.

De veri Philosophi, in summis adversitatibus indole.

Habitus in solemni Phil. & Art. Magistrorum creatione.

Vide Syllabum sermonum.

MAgnifice Domine Rector, Reverendissimi ac Celsissimi Principis ac Domini DN. ADOLPHI FRIDERICI, Ducis Megapolitani, Principis vetustæ gentis Henetæ, Administratoris & Comitis Sverinensis, Rostochi & Stargardiæ Dynastæ, Academiæ hujus Cancellarii magnificentissimi: nec non Amplissimi, Prudentissimi hujus Urbis SENATUS, Legati, Viri Magnifici, Nobilissimi, Reverendi admodum, Excellentissimi, Clarissimi, Tuq; selectissima Studiosorum Corona. Jucundissimus Poëtarum Chorus montem qvendam HELICONEM dictum, Musis consecratum esse perhibet; qvi eximio sane celebratur elogio, qvod, ob soli singularem qvandam bonitatem, fertilitate qvasi luxuriare videatur, floresq; copiosissimos ac herbas fragrantissimas producat; qvarum esu ac pastione contagiosa serpentum venena debilitantur, vimque omnem mortiferam protinus deperdunt. Qvid-

qvid O.O. AA. SS. Poëtarum licentia, de hoc monte proferat, hanc eqvidem, sub qvâ velut involucro ac integumento sapientia plerumque continetur, non despicatui duco: dum nihilominus in hanc Celeberrimam Universitatem Rostochiensem oculos conjicio, veriorem magisq; genuinum Heliconem illam esse conspicio. Cujus si nobilitatem dignitatemq; spectem. Augustissima Musarum, cœli filiarum sedes est, cœlestium nempè intelligendi loqvendiq; facultatum, qvæ ad amænissimum huncce voluptatis montem convenerunt; Ubinam enim terrarum cœli filiæ, qvam in hoc monte, velut in terreno paradiso decentius hospitarentur? si antiqvitatem hujus Heliconis ponderem: Hic de cœlo delapsus, & ad hanc Balthici litoris oram collocatus, inter innumeras licet cladium & calamitatum tempestates, tertium jam seculum A. 1619. d. 15 Novemb. auspicatus est. Si fertilitatem ac fæcunditatem ejus perpendam, superat captum nostræ mediocritatis copia illorum qvos florentissimus hicce Helicon ad laudem Numinis altissimi perennem ad decus Ecclesiæ Reiq; publicæ literariæ immarcesibile, in hanc communem lucem emisit; Viros sane admirandos, qvi inqvantum Virtus ipsa ac Eruditio modulo intellectus comprehendi potest, omnes laudis votique punctum tulerunt. Si virtutem ac efficaciam odo-

ratissi-

ratissimorum horum ac saluberrimorũ florum, ad lancem rationis examinem. Ubicunq; mortalium genus in intimam cum virtute ac doctrina conspiravit amicitiam, hosce Heliconis Balthici venustissimos flores, illustri famâ celebrabit, non solum salutari Sapientiæ Virtutisq; odore orbem recreantes, sed etiam ab abominabili ac exitiali ignorantiæ veneno ab illo infernali serpente profecto, seculum vindicantes. Qvorum jam plurimi mortalitatem abdicantes cœlo redonati sunt, ac nobilissimâ sui parte Libitinam vitantes æviternum vivunt. Plurimi verò rebus hisce caducis huicq; loco præsentes, gloriam ac laudem Heliconis, hujus, suis clarissimis ingenii monumenris tuentur. In hoc qvoq; Helicone, præsentes ac absentes Reverendi Doctissimique Viri ac Juvenes, veræ pietatis virtutum & eruditionis flore ornatissimi, tanto cursu ac impetu, tot labores ac difficultates exantlantes, ad laudem virtutis ac eruditionis ferebantur, ut tandem ad solidum ejus fastigium (ad supremum nempe Honorem in Philosophia, Doctoralem, qvem jam Magisterialem appellamus,) ascendere possent. Qvod anteqvam hi Præstantissimi Veræ Philosophiæ Candidati, præstent; præmittam primum ipsissimam VERI PHILOSOPHI, in summis licet adversitatibus in maximis infortuniis indolem ac genium, illumq; penicillo lingvæ

meæ, pro tenuitate mei ingenii depingere contendam. Tu jam inclyta Auditorum Spectatorumq; Corona, (per Heliconis hujus Musas, Musarumq; sacra obtestor) exhibe amicissimas aures, mediocritatemq; virium, ingenii ac facundiæ benignæ tuæ attentionis favore supple.

Chosroes ille Persarum Rex (uti Cedrenus describit) machinam Orbi stupendam finxit; in qvâ cœli ipsius effigies, cum omnium Astrorum conversionibus videbatur; in qvâ tum imbres fluere, tum fulgura præmicare, tum tonitrua mugire, tum fulmina cadere conspiciebantur. Ipse autem Chosroes, eminens in medio qvasi Deus humanus, hilari oculo, menteq; generosâ omnia spectabat. Dum admirandum hocce opus accuratius mente verso, cunctaq; hæc perspicaciori oculo usurpo. Indolem Veri Philosophi, melius qvam penicillo Apellis Cæloq; Lysippi expressam esse in illo reperio. Et qvod remerarius ille ac pietatis hostis Chosroes, vana ac futili specie duntaxat effecit. Hoc verus Philosophus, solida qvadam felicitatis possessione, pleniss imè videtur esse adeptus. Qvi nihil aliud vel in extrema calamitate, qvousq; huic consortio mortalium convivit; nihil inqvam molitur solertius, qvam qvod postpositis hisce terrenis, aureorum mancipiorum carceribus vastissimis, *cœlum sibi figit*. Qvid dico figit? Cœlum ipsum est

verus

verus Philosophus; cujus cum DEO svavissima consociatio, apparatissimis cœlestium rerum delibuta voluptatibus, summi illius ætheris instar esse creditur, cujus motu, cæterarum virtutum, qvasi stellarum perpetuæ conversiones, per fixas honestatis leges, glorioſissimè decurrunt. Si mihi qvis cœli velocitatem miram proposuerit, qvâ cursus suos absq; ullo laboris sensu tædioq; lassitudinis absolvit, nec unqvam defatigatum, perpetuo motu voluitur. Conjiciat jam oculos in Verum Philosophum, videbit eum celerrimè, non plano itinere, nunc sursum nunc deorsum euntem; imò contra fortunam cursum tenentem; qvi tamen tam intenso motu, reficitur satius non defatigatur per humanos casus, vivido semper vegetoq; incedit animo, continuo gaudio elatus qvasi nullam lassitudinem experiretur. Qvid mirum? Novit ille benè suam originem, ac iniqvum fortunæ motum, assiduamque ejus exagitationem, angorum omnium curarumque laxamentum censet, varietatem afflictionum svavissimam refectionem judicat. Qvasi ipsum in cœlo virtus sua collocasset, qvasi ab abjectis stultisq; mentibus procul removisset, qvæ ad minimam etiam calamitatem debilitantur ac consternantur.

Duris uti lex tonsa bipennibus
Per damna, per cædes ab ipso
Ducit opes animumque ferro.

Si

Si qvis mihi sublimitatem cœli tantam ostenderit, ut nullam qvasi contiguitatem cum hisce rebus caducis habeat, Videat verum Philosophum, in illum sublimem ac editum verticem à sua virtute positum, qvi eò fastigii extra omnem spiculi jactum assurrexit, ut supra fortunam emineat. Si qvis mihi contrarium cœli iter qvod mundo intendit, monstraverit; conspiciat Verum Philosophum, qvi (ut Seneca loqvitur) non it qva populus sed qvâ cœlum, qvi adversus siniſtram pravorum judiciorum existimationem summa fiduciâ, flocci ipsam pendens, solo conscientiæ theatro contentus, alacriter vadit. Qvid dico? Vadit? Obviam ipsi infensissimæ fortunæ procedit, ne ipsum tractum, sed potius secutum sponte, opinetur. Æqvat ipsius motum licet contrarium, antecedere promptissimus, si nosset. Cœlum est Verus Philosophus cœlestis particulæ plenius compos, perpetuis gravibusq; curis instar cœli agitatus; ita ut jam audacter ac jure merito, hæc ipsi, (qvæ qvondam Latinus Pacatus Theodosio Imperatori, in nobili ejus panegyrico) loqvar. Gaudent profecto divina perpetuo motu, & jugi agitatione sese vegetat æternitas, & qvidqvid homines laborem vocamus Veri Philosophi natura est. Ut indefessa vertigo cœlum rotat, & stare Sol nescit. Ita Philosophus verus, continuatis negotiis, & in se qvodam orbe redeuntibus

untibus semper exercetur. Qvid ni exerceretur purisimum ac Eximium cœlum hoc? Mens nimirum (ut cum Ruperto suprâ Math: dicam) vel anima Sapientis, ut qvæ habet lucida sydera, statos motus, concinnas choreas, divinos circuitus, virtutum splendores fulgidisimos. Reditum faciam ad Chosrois cœlum, in qvo, (ut audivistis) imbres fluere, fulgura præmicare, tonitrua mugire, fulmina cadere videntur. Qvid hoc aliud O. O. AA. SS. vivis depingit coloribus, qvam lugubrem ut plurimum Veri Philosophi conditionem; in qvem multoties fortuna crudelis, emittit grandes injuriarum imbres, emittit atrocia conviciorum ac contumeliarum fulgura, ac tonitrua, emittit tetra & horrenda contempt9 ac calumniarum fulmina. Et qvidem proh dolor! per tales emittit, qvi inter alia spurcisima facta qvibus abundant, mirabili studio feruntur, optimas ac simplicisimas mentes turpi notâ deformandi, ipsi materia risus benignisima, ipsi sepes ludibrii ac contemptus uberrima. Verum intueamini qvæso, qvalem se Verus Philosophus in hoc duro inprimis injuriarum imbre exhibeat? Obsirmat pectus ad ejus sævitiam, qvasi majori spatio à contactu ejus, constantia ipsum abduxisset, qvam ut pernicioas vires suas in ipsum exerere possit. Imitatur video insignem Anthracitis lapidis naturam, qvi juxta Isidorum Origen:

lib. 16.

lib. 16. c. 13. totus ignitus, & in ignem conjectus, extingvitur, aqvis vero copiosissimis perfusus, subitò exardescit: Verus etenim Philosophus, dum ab ipso imbres injuriarum ac conviciorum removentur, langvescit; dum verò ipsum optimè madidum reddunt, in ignem qvasi accenditur; fervet imbre rerum adversarum, æstuans omni infortunio Philosophica Virtus, præbet se ultro talibus imbribus, &(ut cum Boetio Metr:4. lib:2. occinam.)

Qvamvis tonet ruinis
Miscens aqvora ventus
Hic conditus qvieti
Felix robore valli.
Ducet serenum ævum
Rideus æthereas iras.

Imitatur naturam Gagatis qvi secundum Plin. lib. 39. c. 19. restinctus oleo aqva accenditur. Verus etenim Philosophus, tepet in prosperis, languet & restinguitur affuso voluptatis oleo, & tandem misere obruitur: ardet verò in conviciorum ac contumeliarum imbre & nunqvam extinguitur. Premit vestigia Salamandræ qvæ Jove (ut ajunt) tonante, sævientibus nimborum procellis, fœdaq; imbrium eluvie, longè lateq; omnia inundante, prodit in lucem. Verus etenim Philosophus inter injuriarum conviciorum & contumeliarum imbres triumphat, sere-

nam

nam mentem præclarissimis conatibus, qvasi imbres illos non pateretur, devovet; per medias tempestates, qvasi ne guttula mentem ejus attingeret, in Apricum, in famam publicam erumpit. Non latet hoc animal cœlo destinatum, in latebris; non intra privatos sese detinet cancellos, verum in lucem apertam procedit, & in illam sæviorem adhuc fortunam ad acriorem conflictũ impavidè provocat.

Sic Gens cremato fortè ab Ilio
Jactata Tuscis æqvoribus, sacra
Gnatosq; maturosq; Patres
Pertulit Ausonias ad urbes.

Seqvuntur jam terribilia fulgura, sive fulmina satius calumniarum Crudele me hercule, fulmen, Calumnia, Crudele qvod per atrocem alienæ existimationis ruinam ad famam concutiendam grassatur. Crudelius qvia subiti fulminis more, validissimum opprimit, innocentem ac improvidum sæpissimè perimit, non contentum vulnere, ipsa medullat ossa, & qvidqvid erat sanguinis puri, improbo æstu suo decoqvit. At qvid jam Verus Philosophus, (qvando cœlum tam horrende micat tonat fulminat) qvid inqvam agit? Alacer & erectus per medium tot tonitruum ac fulminum agmen incedit, adversus fulminis hujus ictus scuto veritatis & candoris tectus, Epinicia hilarius occinit, & avertentia sacra Calumniæ

niæ livoriq; facit. Et qvod ſubtilius eſt mores animumq; Regiæ alitis Aqvilæ, effingit. Qvemadmodum enim illa (ut Ael. lib. 5. c. 2. refert) ſurſum ſubvolans, æthereum locum celeri alarum remigio ſecat, præclara qvadam animi magnitudine Cornicularum ſolitas irritationes deſpicatui ducendo. Sic ſic Verus Philoſophus, ſublimia ſemper ac excelſa loca mente aggreditur, infames vero ac abjectas corniculas, invidos nempe ac malevolos, generoſi hominis modò primâ face in Orbe Orthodoxo ſurgentis Virtuti ac doctrinæ obſtrepentes contemnit, & qvò magis ac magis obſtrepũt, eò nititur altius infraq; ſe volantes miſeras irridet dicens. *Solâ virtute ſequantur.* Et qvid mirum eſt? Qvod Verus Philoſophus, adinſtar aqvilæ cornicularum harum infeſtos clamores, faſtidioſo contemptu vindicet? qvid mirum? qvod cum tam diſparibus æmulis ad nullam rem niſi ad livorem indolis, non congrediatur? Qvi ad ipſa etiam Calumniæ fulmina pectus obfirmat jam ictus jam fumans, jam fulminibus illis, inculpatum caput conjectis, ardens, omnes malevolorum machinationes, omnes fortunæ inſultus, velut ruentis in ſe cœli pondus, ineluctabili vigore Spiritus excipit. In ſimulacrum invicti ac heroici animi, tale qvondam Emblema Viro magnanimo Curtio Gonzagæ præcedens ætas poſuit. Pinxit nimirum Aqvilam ſub cœlo nubi-

nubiloſo, tonante fulgurante, fulminaque ipſa velut grandinem emittente, audacter ac intrepidè Solem intuentem tum ad ſublimem qvendam oppoſitum montem, velociſſimo curſu tendentem, in illaq; verba prorumpentem.

Neque ferire neque interficere me poteſt.

Potiori ego jure OO. AA. SS. Emblema hocce Vero Philoſopho, hodierna luce tribuam. Qvi inter calumniarum fulmina vibrat ſeſe velut victrix aqvila, ad ſublimia, fulminibus ipſis ſuperior, defæcato ab omni metu animo Solem intuetur; lucidiſſimum nempe Servatorem generis humani CHRISTUM JESUM, cujus ſolio aſſidet Themis divinarum humanarumq; rerum Regina, qvæ nunqvam calumniæ fulmen favore ſuo ſecundat. Sicq; ſurda aure præterlabitur Sirenum Cantus, qvæ nullam ſpem ſalutis, niſi invindicandis injuriis reponunt. Ad montem verò ſublimem pergit dicens.

Neque ferire neque interficere me poteſt.

Sed ad qvem montem? ad montem illum cœleſtem, in qvo Beati Cælites æternitatis ambroſiam immortali ore deguſtant. Hunc montem verus Philoſophus, licet in hoc triſti & obſcuro domicilio incluſus, ſemper petit, & in ejus contemplatione placidiſſimè acqvieſcit. Subducit ſeſe inſigni artificio Aqvila hæcce, huic cuſtodiæ, in qvâ ipſum ſola mortalitas detinet, & in illo monte,

de qvo olim delapsus erat, lubens oberrat. Frustra in hisce rebus Verum Philosophum qværis, è qvibus semper ad montem illum demittitur, & qvamvis adhuc corpore sit præsens, abest nihilominus nobilissima sui parte; qvæ velut catenis aureis religata, hæret illi monti velut suæ origini, neque unqvam in hancce terram descendit, nisi qvod mortalitatis necessitas extorqvet, vel virtutum factorumq; imperatrix Charitas præcipit. Et sic Aqvila hæc generosissima, omnes injurias, omnes contumelias, omnes calumnias suas existimans delicias, magno conscientiæ theatro contenta patientissimè illas devorat, herculeo animo hæcce proferendo verba. Neque ferire neque interficere me potest. O felicissimam sane Aqvilam! qvæ jam inter tantas tempestates calamitatum tam secura es, ut nec feriri nec interfici possis. Ruant in hanc Aqvilam ignominiæ imbres, ruant conviciorum tonitrua, ruant calumniarũ fulmina. Qvid præstabunt? Vel qvomodo Aqvilam ferient, qvæ omnia in se reposuit, qvæ ab opinionibus vulgi secessit, adversus sæviissimos casus sese extollens, non magis illis sese affici existimat, qvam cum (ut cum Senecâ loqvar) ædium sacrarum ruinæ calcantur, qvas religiosi æqve ac stantes adorant. Deprome jam fortuna in hanc Aqvilam omnes vires tuas, extremum cum Philosopho tenta periculum. Nihil efficies. Feries ne illum,

illum, dum ipsum amicis ac fautoribus per malevolorum impudentia ora spoliabis? Non feries. Ejus etenim benignitas ac candor ingenuus, facile in locum amissorum alios substituet, imò & ipsos hostes ad se alliciet, qvorum mens delinita tolerantiâ, velut degustata loto, exuere odii desiderium, ac in amicitiam priorem redire consvevit. Feries ne illum dum illi opinionem ac existimationem partam labore ac dotibus divinitus concessis per mendacissimam lingvam, per doloforum technas diminuere satagis? Non feries. Solidior enim hæc est, apud eum, qvam ut à te labefactari nedum concuti valeat. Feries ne illum, dum illi bona mundi hujus caduca ac transitoria adimis? Non feries. Mens enim ejus præclarissimis virtutibus sic est fundata, ut supra omnia mundi mala emineat. Feries ne illum, dum ex albo mortalium erades? Non feries. Prolixissimum enim illi ævum ingenii simulacra promiserunt. Et Aqvila hæcce nihil aliud agit, qvam ut vivat æternumq; maneat, nobilissima sui parte ac præcellentissimis virtutis doctrinæ monumentis, à mortalitate sese seqvestret. O faustissimum in summis etiam angustiis Veri Philosophi statum, qvem fortuna

Neque ferire neque interficere potest.

Non potest, qvoties enim Verus Philosophus certamē cũ fortuna inire cupit, nec illa unde injuriã

inferat habet, nec ille unde accipiat. Non potest, qvæ optime novit non esse illic fortunæ locum, ubi nihil fortunæ invenitur. Sed inspiciamus adhuc illam Chosrois machinam, in hac post cœli ordinem astrorumq; conversiones, inter tonitrua fulgura ac fulmina Chosroem ipsum stantem in medio qvasi DEUM humanum positum, omnia animoso ac hilari oculo spectantem videbimus. Non Chosroi vanitatis studiosissimo non à vera pietate remoto, sed Vero Philosopho ad vivum hæcce conveniunt. Eminet ille supra hæc lubrica, Angelorum choro stipatus Deo fruitur, & divinis rebus, (ut ait Theodoretus) Θεωρίᾳ. Hic sub pedibus suis, humanarum rerum cursus ac recursus, reciprocasq; negotiorum vicissitudines labi cernit, securus, lætus & sui ubiq; similis. Hic verè Inconcussa dedit puræ sacraria menti. Qvi in medio veluti collocatus, ac æternitate dignus inter cunctos humanos casus subsistit divina mente proximo Diis immortalibus, ipsiq; DEO excepta immortalitate similis stat in medio audacter cum Luciano l. 9. loqvens:

Me calor æthereus feriens, mihi plena veneno
Occurrat serpens, serpens sitis ardor arenæ
Dulcia virtuti, gaudet patientia duris.

Stat in medio neq; aliter sese fortunæ præbet, qvam

rupes

rupes aliqva in medio procelloſi maris conſtituta, qvam fluctus undecunq; moti verberare non ceſſant, nec tamen aut illam loco movent, aut per tot ætates crebro in curſu conficiunt. Sanè dum oculos interiores in Verum Philoſophum tàm ſolidè in medio ſtantem, flecto continere me neqveo, qvin, tam eximiam illi felicitatem vovendo, illum (cum Chryſoſtomo apud Nicetam) hiſce verbis alloqvar: *Beatus es, qui undiq; petitus firmius ſtetiſti, & ſexcenta tela clypeo excipiens deditionem non feciſti, exhauſiſti Dæmonis pharetram, nec concidiſti, imò ne de gradu quidem tantisper motus es.* Qvid jam ad extremum Verus Philoſophus, ſtando in medio facit? Oculo ſereno nulli malo penetrabilis ſpectat fortunam. Qvam ſi proſperam blandientemq; ſibi advertat pomo illam Sodomitico non diſſimilem judicat, Velut enim illud ſpeciem maturitatis licet præferens, ob meram fuliginem favillaceam mandi neqvit, ſic fortuna ſecunda plurimum qvanqvam pompæ oſtentet, nihil interim ſolidæ voluptatis complectitur. Sin verò afflictam cernit, non diſſimilem illam arbori Cupreſſo, in Veſpaſiani agro acuto, exiſtimat. Velut enim illa (ut Svet: in Veſp. c. 5. inqvit) ſine ulla vi tempeſtatis evulſa radicitus repentè procidit, ac in ſeqventi die viridiſſima, atque eodem veſtigio firmiſſima reſurrexit. Sic Veri Philoſophi fortuna hodie per

malevolorum ora, invidiamq; frementem suppressa, statim cras cras in altam & excitatam transit, sublimè struitur, qvidqvid ab infimo surgit.

Nunc & damna juvant sunt ipsa pericula tanti
Stantia non poterant, tecta probare DEos.

Spectat inimicos etiam suos illosq; audacter alloqvitur. Ubi estis famæ meæ decoctores? Ubi estis qvibus dulcissimum est mea scrutari mala, sententiasq; ad lubitum ferre. Cur papulas meas observatis, ipsi sordidissimis obsiti ulceribus. Cur corporis mei nævos vel minimos aut verrucas magnis etiam Orbis luminibus communes observatis, qvos fædissima scabies depascitur. O elegantes vitæ meæ censores, cur potius mala vestra non circumspicitis, qvæ vos ab omni parte confodiunt, alia grassantia extrinsecus, alia in visceribus ipsis ardentia. Pergite si placet more vestro insano, infelicem lingvam vestram orcoque infernali devotam, meis exercete conviciis. Instate, commordete, citius multò (DEo meo fido) frangetis contagiosos dentes vestros, qvam imprimetis. Spectat & illos Verus Philosophus, qvibus nihil unqvam vel parum adversitatis contigit, illosq; indignos visos esse censet, à qvibus fortuna aliqvando vinceretur, ignavissimum ac abjectissimum illos appellat pecus, cum qvibus fortuna manus non conserit, contrà qvos vim suam

non

non intendit, dicens, tædet cum tam exilibus æmulis componi, pudet cum hominibus vinci promptissimis congredi. Mutium satius in qvo ignem experiar, expeto, malo Fabricium in qvo pauperiem, malo Rutilium, in qvo exilium, malo Socratem, in qvo convicia & venenum, malo Regulum, in qvo tormenta, malo Catonem, in qvo mortem probem, nunqvam etenim Maxima Exempla, nisi pessima reperio. Spectat Deum ipsum præpotentem, qvem cum videat patrium adversus bonos animum gerere, illosq; calamitatibus premi permittit, ut verum colligant robur, callum per qvæcunq; mala ducit, nulli unqvam cedit, & etiamsi ceciderit de genu cum fortuna dimicat. Eoq; fortius ac hilarius crudelissima fortunæ spicula excipit, dum summum illum Regalium arbitrum, ingentem capere voluptatem, conspicit, qvando Verus Philosophus cum fortuna committitur. Qvasi digniſſimum sit spectaculum, ad qvod respiciat intentus præclaro operi suo Deus, qvasi dignisimum sit Deo par verus Philosophus cum mala fortuna compositus. Eo deniq; alacrius, patientiâ se ac animi magnitudine tuetur. Dum spectat Deum Maximum, optime Veris Philosophis prospexisse, qvos esse qvam honestisimos desiderat, qvoties illis segetem aliqvid animosè fortiterque patiendi exhibet. Idcircò de Deo summo nun-

qvam conqveritur, qvod illum tanta fortunæ sævitia premi permittat. Novit etenim ipsum qvos probat, qvos amat exercere, eos autem qvibus connivere videtur, venturis malis asservare. Non DEO exprobrat, cur tot injurias pati, tot calumnias devorare, tot ludibria ac contemptus tolerare tenetur? sed imitatus militem lectissimum, ad nocturnas insidias hostibus struendas ablegatum, *Optime (inqvit) Supreme cœli ac terræ Imperator judicium tulisti, Dignus visus sum tibi, in qvo experireris qvantum fragilitas naturæ meæ possit pati.* Et sic spectans Verus Philosophus sua cuncta infortunia, hanc generosam emittit vocem. Hoc me unicum Immortalis DEUS macerat, qvod non ante mihi sanctissimam tuam voluntatem notam fecisti. Prior etenim ad hæc infortunia accessissem, ad qvæ nunc vocatus sum. Spectat omnia Verus *Philosophus*, & qvemadmodum in magno mari periculis ac tempestatibus diu jactatus, dum Gemellorum Sydus videt, unde spem propinqvæ serenitatis præscia nautarum pectora, augurantur, indicibili gaudio afficitur. Sic Verus Philosophus, tot cladibus injuriarum, tot conviciorum ac mendaciorum calamitatibus divexatus, dum divini solatii lucē in nubiloso pectore affulgentem cernit, locantem in solido fortunam ac tranqvillitatem suam, faustis ac lætissimis ominibus prosequitur expe-

ctatio-

ctationem beatioris ac felicioris ſtatus. Et ut è gravi morbo recreatus jucundiorem fructum, acrioremq; ſenſum ſanitatis reſtitutæ percipit, qvam ſi nunqvam æger fuiſſet: ſic verus Philoſophus, è tot tantisq; malis eluctatus, melius bona ſua præſentia novit, divinæ ac ſupernæ conſolationis Sydere refocillatus & in fortunæ ridentis ſpecimen collocatus, qvam ſi nunqvam ipſum ſæviſſimæ ærumnæ ac anguſtiæ exercuiſſent, Oſtendi vobis OO AA. SS. indolem ac genium Veri Philoſophi. Qvem qvidem non me ipſum fateor, nec adeò frontem depoſui, ut mihi inſolentius titulum Veri Philoſophi arrogare audeā; animoſè nihilominus affirmare poſſum, me veram Philoſophiam ſemper in Orbe Lutheranô affectaſſe, utq; veri Philoſophi veſtigia æmularer, ſtudioſè expetiiſſe. Cœlum ſi non fabricavi in cætu Lutheranorum, fabricare tamen mihi viſus eram, dum in illo velut in Orbis terrarum limbo extra dulce ſolum patrium ad hunc usq; diem, vitæ meæ ratem, inter extremæ inopiæ ſcopulos ultrò detinerem, dumq; per hoſce aliqvot annos, in nihil aliud intenſius, ſi non præclaris, at certè candidis, (qvalia nulla ſimulatio delineare poteſt) documentis, in honorem ejus incumberem. Sed contra me tale Cœlum mihi fabricantem ruunt, proh dolor! injuriarum imbres, & qvidem à flagitioſis & ſcelerum ſibi conſciis, ruunt menda-

ciorum tonitrua, ruunt calumniarum fulmina, è qvibus silentio involvo antiqviora, qvæ ita me ante annos aliqvot presserant, ut qvò cursum dirigere debuissem prorsus ignorassem, nisi solus DEUS mentem angustiarum procellis fluctuantem ad serenitatem revocasset, serioq; impediviſſet, ne vel latum ungvem in malevolorum gratiam in hisce saltim rebus recessissem, in qvibus, non de papaveris capite vel de re ludicra, sed de nominis famigerati salute, de innocentiæ meæ honore actum fuerat, Involvo silentio & recentiora non mediocria tonitrua, ab ipsis nuper in caput inculpati *Bodockeri* immissa, qvi simultatem ejus affectant, cujus similitudinem assequi, tum ob improbitatem nolunt, tum ob ignaviam desperant. Involvo honore silentii & aliorum nævorum de me sparsorum fulgura. Qvos falsissimos esse vel ipsa indoles indicat, nunqvam ab honestis parentibus ad turpia sanæ mentis deliqvia educata, paratiorq; semper, ut manu Æneæ magni vitam finiat, qvam libertatem ingenuam abjectissimo vivendi genere destruat. Qvorum etiamsi, (ut homo, neq; humani aliqvid alienum à me existimans) insimulari verè potuissem non in tam tamen abjectos sordidos censores, & sine suffragio judices venire debuissem. Qvæ est enim illa Reip. literariæ dignitas si cuiq; ignobili, bipedum neqvissimo judicium suum interponere

senten-

sententiamq; de talibus ferre liceat, qvorum opera si qvid obnoxium invidiæ aut reprehensione habent, tam pessimo tamen benè sentiendi, authori committi non debent. Vel admoneri saltem corrigiq; in Charitate Christi debuissem, non famâ, qvæ pari passu cum Vita ambulat, non favore bonorum crudeliter spoliari, qvod non solum Augustanam pietatem, non solum Evangelica pectora dedecet, sed qvod vix ipsis Turcis & Barbaris gentilibus in more est, qvamvis illos nec fides illustret, nec charitas dirigat, nec unius Dei gloria, suprema illa solaque honestissimarum actionum norma. Admoneri inqvam debuissem. Non etenim adhuc tam strenuè insanio, ut liberas candidasq; voces æqvo animo non perferam, sincerisq; monitoribus vultu sermoneq; contumaci memet exhibeam. Qvid itaq; jam in tanta tempestate agam Veræ Philosophiæ affectator? Stabo in medio instar Chosrois Regis inter tot nugarum tonitrua, inter tot calumniarum fulmina faustiorem injuriarum ac afflictionum omnium exitum spe & animo præsagiendo; neque unqvam tantum juris sævienti fortunæ concedendo, ut à candore & Virtute ad placitum malevolorum deflectam, cui tot jam publicos obsides constantiæ dedi. Stabo in medio credendo firmiter non omnium dierum Soles adhuc occidisse, hacq; misera consolatione me oblectabo,

qvod

qvod sortem cum aliis præclaris honestisq; Viris communem habeam. Qvorum exempla,& hoc *Rostochio* depromi copiosissima possent,si in tam abjecto argumento Oratio luxuriari vellet. Stabo in medio, malevolos omnes, constanti silentio generosoq;contemptu vindicando,à qvorum cervicibus (si in cœlo DEUS est Inspector humanarum rerum) nec per ictum oculi Nemesis aberit, domestica illa tortrix, sangvineo armata flagello, qvæ crudelius omni supplicio mentes illorum excruciabit,itaq;minutissimis ictibus cædet, ut se mortem oppetere qvolibet momento intelligant, nisi ad saniorem mentem sese recipiant, qvam ipsis ut veræ Philosophiæ affectator,cordicitus voveo,animitus amplectendo illud dilectionis bonum, qvod velut preciosissimum depositum, velut fideicommissum,extremæ voluntatis, seqvester generis humani CHRISTUS JESUS, discipulis suis legavit.

Ceremoniæ cum ipso Promotionis Actu ultrò omissæ sunt.

SER-

SERMO IX.

Causas ingenioſas ſanguinis, ab octo dierum Infante JESU, & quidem in novi anni initio effuſi, ſuppeditans.

SIlenos qvosdam (ut refert Pierius Valerianꝰ) externa ſpecie deformes, internâ pulchros efformabat Antiqvitas; dum etenim extrinſecus horridi alicujus colubri aut lacerti effigiem exhiberent, excellens aliqvod, intrinſecus, ſimulacrum, vel rem qvandam precioſiſſimam ob oculos ponebant. Qvæ ſi veritati non adeò conſona eſſe videantur. Hoc ſit certiſſimum. Reducit nobis in mentis Palladium S. Eccleſia, hiſce temporibꝰ ſilenum qvendam Divinum ac myſticum Silenum, qvi vincit captum tenuitatis humanæ. Vindicem nempe libertatis noſtræ, CHRISTUM JESUM. Qvem ſi ab extra oculo corporeo, intueor; Infantulum ſaltim tenellum, lactentem, virgunculæ *ſedecim ad ſummum annorum*, affuſum pectori, molliter puellæ appetētem uberula, inter paluſtres tugurii cannas, inter pecorum anhelitꝰ, pro genere humano jacentem, & qvod ſummo ſtupore proſeqvi debeo, Circumciſionem ſolius peccatoris teſſeram ac notam, (qvaſi coluber eſſet

esset delicti toxico infectus) sumentem, sangvinemq; tam cito, anteqvam lac purissimum in sangvinem converteret emittentem video. Verum si ab intrâ lumine nempe fidei, huncce *Silenum* cónspicio. Cerno ipsum Supremum DEUM humanâ carne velatum, Cerno ipsissimam Paternæ *substantiæ* Imaginem, *imaginem ejus bonitatis splendidissimam, in qvam qvoties purissimi illi animarum cætus oculos defigant, toties connivere videntur splendore lucis obruti*, pennasque ori prætendunt, ut radios velut per nubem effusos excipiant, qvos aliter sustinere non possent. Silenus est C. J. extrinsecus serpentis illius, in sublime elati, figuram gerens, habitum & formam turpis peccatoris sumens; intrinsecus autem immensâ divinitate fulgens, imò, DEUS ipse verissimus, qvi in illo felicitatis solio collocatus, placidissimè regit omnia, fatorumq; seriem admirabili potentia dispensat. Hicce Silenus, divinâ Majestate coruscans, Ecclesiæ S. hoc tempore exhibetur, proprii cruoris, (dum tantum diebus octo mundi consortio adfuisset) rubore coloratus atq; ingenti velamine stupendoq; sipario fidei nempè salvificæ tectus ac occultatus. Qvod etenim tegumentum magis occlusum? qvæ cortina densior reperiri in Cœlo vel in terrâ potest, qvæ pulchritudinem Sileni hujus intus latentem qvæ CHRISTI JESU eximiam, (juxta divinitatem)

formam

formam magis abscondat? qvam stigma circumcisionis, qvam peccati signum, (qvod accipere dignatus est Redemptor noster ut salvos faceret circumcisos) qvam deniq; rosei sangvinis, pro incolumitate mortalium tam tempestiva profusio. Ab hoc jam *Sileno* retraham cortinam velumq; aperiam, qvantum modulus meæ mediocritatis permittet, qvantum divinus favor in me indigno præstabit. Et cur delicatissimus hîcce Infantulus Circumcisioni sese submiserit, cur in novi anni auspicio sangvinem omnibus mundi thesauris preciosiorem profuderit, hocce brevi Sermone dicam; & ita dicam divina ope fultus ac erectus, ut omnes boni nostrisq; partibus addicti, lætari, divinaq; munera collaudare teneâtur. Vos saltim O. O. AA. SS., Vosq; Juvenes Nobilissimi ac Eruditi, mutuum illum erga me affectum vestrum, qvem instar amplissimi patrimonii, extrâ patrium solum, plurimi facio, nunc declarate; auresq; illas benevolas, qvas semper in hoc Augusto Auditorio expertus sum; per hujus etiam horulæ spacium, qvæso, præbete.

Dum hæc publica mundi fax Orbisq; oculus Sol manè ac vesperi rubicundior conspicitur, Astronomorum cætus futuræ serenitatis Prognosticon arbitratur. Et dum levior ac rarior qvædam pluviola, in summâ tempestate, præcedit, densas postmodum nubes grandes, aqvarũ utres secu-

secututas, nimbumq; vehementiorem futurum ait. Ad extremum, ipsi qvoq; Rudes Agricolæ freqventi experientia confirmati, dum prima die Januarii pluere advertunt, seqventem mensem pluviosum fore pollicentur. Qvando jam in Infantulum JESUM oculos conjicio, sangvine, summo mane, octavo nempe à nativitate die, velut verissimum Justiciæ Solem, velut lucidissimam illam Lucem, *(quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum)* rubere in conspectu Orbis conspicio; eundem colorem, sub vitæ vesperam, in mortis horâ retenturum. Qvid jam toti mundo præsagire possum aliud, qvam serenitatem amæniissimam futuram? qvam lucidissimum tranqvillitatis jubar, qvam nempè hominis Redemptionem eximiam, qvam ejus intimam cum ipso DEO reconciliationem, qvæ sola in solido locare potest, fortunas & incolumitates ejus, post tot horrendas tempestates ac calamitates, quæ deplorandum per tot centena annorum, crudelem in modum afflixerunt. Ac dum hodie è divino infantuli JESU corpusculo minutissimam pluviolam sangvineam in Orbem cadere experior, qvid jam mundo aliud ominari debeo, qvam vastissimum illud sangvinis diluvium, qvod in cruenta illa passione copiosissimè mundum perfundet? Dum deniq; primam diem Januarii sangvine tenelli JESU madidam esse advertо,

verto, qvid aliud mundum præstolari volo, qvam illum densissimum ac copiosissimum imbrem, qvi seqventi illo, post elapsum trigesimum tertiũ annum, mense, ad terram sterilem fæcunditate donandam erumpet. Nam si humano sangvine (ut sagaces naturæ scrutatores perhibent) terra redditur fertilior, qvid non præstare poterit sangvine JESU veri DEI perfusa? Cujus guttulas qvidem tantum aliqvot hodie spargit; Verum aderit posthac stupendus ille mensis, funesta illa, sed exoptata dies, in qvâ imbrem ejus ingentem, sui corporis sacratissimi venis exhaustis, Calvariæ rupibus sangvine tinctis, Cruce deniq; ipsâ, non tam patibulo ignominiæ, qvam theatro amoris, qvam arâ gloriæ, cruore purpurata, pro nostra salute emittet, extremumq; spiritum constanter, piè, feliciter effundet. Sed jam aliqvid aliud & minimè abjectius vellicat mihi aurem. O divinum in effundendo sangvine Infantuli JESU ingenium. O stupendum, & ab ipsis Angelorum mentibus seclusum, artificium. Magnus ille Philosophus Marsilius Ficinus lib. de san: tuen: c. 11. ingeniosis multisq; rationibus probat. Senem decrepitum, recuperare posse vires ac robur juventutis, si pueruli alicujus sangvinem sugat. Qvid veritatis hæc Marsilii Philosophia in se contineat Vobis Medicinæ Doctores ad discep-tandum devoveo. Ego verò audacter hoc affir-

mo: Qvod misera hæcce Natura humana ad prolixissimam senectutem ad qvatuor nempe aut qvinq; annorum millia, ætatem protraxerit, omnes vires spiritumq; ipsum vitalem attriverit, ut ad nullum pium bonumq; opus adinstar trunci aridi sese movere valuisset. Ideoq; Princeps ejus votum in summâ angustiâ fuit, ut tandem puerulum talem nanciscereturcujus sangvinem sugendo, tam infirmam senectutem, ab extrema virium debilitate vindicasset. Et ecce lento gradu, & ecce per longam seculorum seriem, hodie compos voti jucundissimi fit, deplorandus senex. Adipiscitur inqvam infantulum JESUM, qvi sangvinem suum sacrosanctum ipsi, præbet; ipsumque benignissimè alloqvitur. Suge jam sugecapularis Senex, qvi tibi à me puerulo offertur, & sive etiam eò sis in peccatis progressus, ut longâ ac malâ vitæ consvetudine in eis fœdissimè incanueris, novum certè robur, novam virtutis juventutem recipies. *Recipe*, ut more medicorum loqvar, guttam unam & alteram sangvinis mei, *Misce* cum dolore, *Suffunde* pœnitentiæ lachrymas, sic sanitati mentis & valetudini redonaberis, & ut cum Psalmographo Psal. 102. dicam: *Renovabitur ut aqvilæ juventus tua.* O felicissimam hanc lucem, ac omnigeni boni verè fontem! O lucem candidissimam, fertilissimam lætitiæ segetem Naturæ humanæ decrepitæ jam

mortem

mortem ipsam æviternam spiranti, offerentem: Sed profundius jam ligonem in hoc insigni causarum minerali adigamus, tam etenim opulenta, tam abundans est, mysterii hujus vena, ut novæ semper ac copiosissimæ prodeant & scaturiant rationes: Qvemadmodum prudentissimus Mercator, plurimas merces coemere contendens, subito, cum nundinas ingreditur, omnes sibi porrectis arrhis obstringit, ut postmodũ anteqvam ad proprias sese recipiat ædes, singulis totâ præstitâ summâ satisfacere possit. Pari pacto infantulus Jesus, qvi (ut Paulus ad Ephesios 2. loqvitur) *dives est in misericordia*, è cœlorum Indiis Orientalibus, ad Occidentales terrarum harum nundinas, non coemendi, sed totius Orbis redimendi, animarumque nostrarum comparandarum gratiâ veniens, statim aliqvot guttulas cruoris preciosissimi, in pignꝰ & arrhas offert, solutionem verò copiosissimam ad redimendos infinitos Orbes efficacissimam, in seqventes Calvariæ nundinas differt, ut anteqvam ad Cœlestem Patrem è rebus caducis abeat, cunctis prorsus, omni vel ad minimam guttam sangvine effuso, vitaqꝫ ipsâ in hominis redemptionem, in Cruce prostituta, apertis (uno verbo) misericordiæ thesauris, præstantissimi corporis sacculo, in mensa crucis exposito persolvat. Et dum Mercatoris mentionem facio, Venit mihi in mentem præclara

illa Divinaq; Levitici 26, lex aliqvando lata: *Si attenuatus frater tuus, vendiderit possessiunculam suam, & voluerit propinqvus ejus, potest redimere, qvod ille vendiderat.* Eheu! primus ille pater noster Adam, horrendus opum ac gratiarum dilapidator, eximiam illam cœlestem possessionem, omneq; nostrum ad eam jus, abjectissimo proh dolor! precio vendiderat. *Cui restitui qvidem poteramus, si aliqvis è propinqvis illius, solutos nummos refundere voluisset;* sed per DEUM omnes propinqvos ejus, Omnes nimirum homines, ab ipsô descendentes, extrema torqvebat inopia; mendici erant adeò miseri, ut ne unum obulum ad pretium refundendum, in marsupiis invenire possent. Qvid de Supremo omnium rerum Arbitro DEO nempe proferam? ipse qvidem omnium bonorum deliciis circumfluebat, ipse immensis opibus abundabat, verum de stirpe & cognatione Adami non erat. Qvid igitur? O profundissimam consiliorum caliginem! O mysteriorum majestatem! ut miseriam nostram sublevaret, ut inopiam instrueret, ut acerbitatem leniret, carnem humanam assumere, qvò in hominum familiam adoptaretur, voluit; sicq; velut unus è nobis, hæreditatem, à tot mille annis nobis debitam redimere expetiit. Qvod ipsum Regius Psaltes Psal: 15. recensuit, inqviens: *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei: tu es*

qui

qui restitues hæreditatem meam mihi. Et clarius ac plenius Anselmus (lib. Cur Deus homo?) dicens: *Conveniebat ut esset qui nos redimeret, Deus & Homo. Homo quidem, ut hominum propinquus esse & pati posset: Deus autem, ut sanctissimæ humanitatis operibus, infinitum daret valorem.* Hodiè itaq; Infantulus, in novi anni exordio tenellas manus crumenæ indit, hodiè summam taxat, hodie redemptionis opus aggreditur, hodie recentissimis cruoris guttulis debita nostra dissolvere incipit, hodie hæreditati paternæ restituere nos conatur, hodie sangvinem purissimum nummorum loco offert, atq; illô redemptionem nostram auspicatur. O Illustrissimum favoris Jesu homini hodie declaratum simulacrum! qvod nunqvam votis ipsis, homo sperare ne dum conjecturâ præsagire ausus fuisti. Ubi jam illa extrema inopia? ubi illud infinitum, cui solvendo in omne ævum par homo non fuerat, debitum? Reperit enim jam hodie, in agresti qvidem domuncula, frigidæ tempestati ventorumq; flatibus perviâ, (qvam tamen crebræ de cœlo faces, magnâ dignitate circumvestiunt) reperit inqvam infantulum Jesum, Mercatorem ditissimum, qvi in infinitum debitum in redimendam illam hæreditatem supremam, aliqvot jam guttas sangvinis, ante octo dies natus, expendit, expensurus postea in monte Calvariæ totam sangvinis ca-

risſimi ſummam; poſiturus corpus & ſangvinẽ, Perſarum gazis anteponendum, in cruce, velut in uno ponderis pendiculo; & ſic graviſſima ſtatera Patri cœleſti innumerabile illud æs repenſurus, qvô homo inops atq; luctuoſus, ſub pœna privationis æviternæ hæreditatis tenebatur. Verum qvo accuratius cauſas tàm ſtupendi myſterii perpendo, eo magis in illum Polycriti lacum progredior, in qvem qvo altius qvis ſeſe recipit, eò magis ac magis per ſingula momenta, ſuccreſcentibus aqvis implicatur. Qvare in ipſo excelſi Myſterii hujus litore hærens, qvero ſaltim ubi jam eſt ille Cerdon, qvi Redemptorem noſtrum CHRISTUM JESUM hominem eſſe unum negabat. Ubi ille Manes Perſa, qvi nonniſi imaginarium hominem, ſpiritumque qvendam in corpore phantaſtico concluſum aſſeverabat. Ubi ille Valentinus, qvi corpus cœlo attuliſſe, non verò è Virgine ſumpſiſſe affirmabat. Ubi Apelles? ubi Bardaſanes? Ubi Marcion? ubi alii, Infantulo huicce vero DEO & Homini derogantes, nihilq; cum hominibus habere commune, aereo ſolum corpore indutum, dicentes. Prodeant jam, & tam mirando adſint ſpectaculo ſuosq; oculos flectant in Infantulum JESUM, qvi hodie circumciſionis lanci impoſitus, cultri dolores acerbos ſuſtinens, ſangvinem è tenerrimâ carne, in anni principio effundens, luce meridiana clarius,

rius, manifestissimo exemplo, verum sese hominem convincit; Et si fulmen illud Martis, illepublicus regnorum prædo Alexander, in qvodam conflictu sauciatus sangvineq; perfusus; si inqvam qvibusdam Deorum immortalium cætui ipsum temerè annumerantibus talia protulit, hæccine sunt immortalitatis signa? siccine sangvis hic, vulnera, plagæ, Divinitatem arguunt? hominem me esse satius ô fædissimi assentatores, ostendunt. Potiori sane jure Seqvester ac Servator noster CHRISTUS hodie circumcisus sangvinemq; è tenellis venulis effundens, eadem loqvi poterit, famam humanitatis ejus divinitati conjunctæ diminuentibus. Hæccine est nuda divinitatis tessera? hæccine sunt corporis imaginarii notæ? hæccine sunt carnis aereæ simulacra? hodiernus cruor è corpore erumpens, genuinam ac seriam humanitatem, cum immensa Divinitate conjunctam, in Solem Apricum producit. Aurum cum fodinis educitur, prius qvam excoqvatur ac sublimetur, aurique precio dignum judicetur, lydium lapidem aut scalprum subit, ne fortè in adultera nulliusq; æstimii materia habeatur. Non dissimili pacto Infans JESUS idem inter mortales, qvod aurum inter metalla, ante dies octo, sacro Virginis utero, velut insigni aurifodinâ eductus, circumcisionis cultro sese subjicit, lapidemque lydium (qvia fortè

culter lapideus erat) sustinet, ut compertum esset omnibus, num purus esset DEUS, num nihil commercii eum natura humana haberet, & ecce, dum fit experimentum, fundit sangvinem, veramq; humanitatem toti declarat Orbi. Et veluti chymicus aliqvis dum se lapidem philosophicum inveniſſe autumat, arcanâ qvadam metallorum transmutatione, æs in aurum ferrum in argentum convertendo, velut inqvam periculũ scalpro & flammis facit, qvibus si tunc materia non cesserit sinceram minimèq; fucatam esse existimant. Sic Natura humana, verum jam Philosophicum lapidem reperiens, DEumque hominem, & Verbum carnem esse factum, O præclariſſimam rerum conversionem! advertens, (ut duo magnæ auctoritatis & artis Chymici Anastasius & Joannes ajunt) Circumcisione, cultro, sangvinis emissione probat, & ecce qvamprimũ evidentissimè apparet, nullam subesse in carne infantis JESU fraudem, omnia constare, verissimum hominem cruorem elicere, eâdem qvâ nos hic præsentes, indutum carne. Verum liceat proferre etiam figuram Infantis JESU sangvinem è puriſſimis venis, ut veram humanitatem testaretur, depromentis, liceat proferre inqvam è veteris Testamenti archivis depromptam. Maximus ille omnium rerum Auctor dum olim apud Hebræam gentem summi Pontificis ornamenta describe-

scriberet, in hæc verba ad Mosem, Exodi 28. erupit: *Facies laminam de auro purissimo, in quâ sculpes opere calatoris Sanctum Domino, ligabisq; eam vittâ iacinthinâ, & erit super tiaram imminens fronti Pontificis.* O stupenda mysteria! o figuræ admirandis rebus, qvarum hodie veritatem producitis, refertæ! Infantis JESU humanitas, de Spiritu Sancto concepta, qvid est aliud, qvam lamina ex auro divino conflata, lamina sculpta, exarata, lamina mirum in modum contusa. *Exinanivit enim semetipsum:* & jejuniis, laboribus, persecutionibus, fatigationibus, *Attritus est propter scelera nostra.* Unio verò in Infante JESU hypostatica qvid aliud est, qvam vinculum illud jacentium, qvæ laminam auream cum tiara, id est, humanitatem cum divinitate ineffabili nexu copulat. Hodie in anni principio huic laminæ aureæ humanitati nempè JESU divinæ, Sanctum Domini insculpitur, hodie circumcisionis cultro, velut scalpello aliqvo sacrosanctum JESU nomen, parvuli veri ac genuini hominis, summique aliqvando Sacerdotis futuri inciditur. Qvod ipsum divino percitus œstro Rex Israel agnovit, Psal: 109. occinens: *Tu es Sacerdos æternum, secundum ordinem Melchisedech.* At, jam sese reserat omnium causarum fons & origo, jam sese manifestat fortunatissimus mysterii hujus campus. O verè Campus, qvis enim aut

certam viam aut limitem in ipso comprehendere potest; Qvis autem iste Campus? *Amor* immensus, *amor* sine modo, *amor* sine termino, *amor* sine exemplo, *amor* sub qvo intellectus deficit; *Animus* verò in ipsum stuporem resolvitur. Qvæ si aliqvem dubietate discriminant; tollam dubium & loqvar ad Infantem JESUM. Qvorsum tanta ô dulcis Infantule, festinatio? Cur qvod suxisti, è puriſſima puellâ, lac in sangvinem non digeris? Cur tam subitò sangvinem emittis? Amor Amor, (respondet) moræ impatiens, amor durus promissorum exactor, causam præbuit. Ille est, qvi me octo dies natum Infantulum, tributarium reddidit, ille est, qvi non satis sibi cautum existimavit, donec proprium sangvinem tam celeriter multis lachrymis doloreq; fusum, pro pignore Æterno Patri meo offerrem. O præcellentissima amoris erga mortales nota! O πκμήλιον favoris JESU inæstimabile. Soletis insipientes festivè ridendi puellarum amasii, ut benevolentiam earum obtineatis, clientesq; illarum reddamini, Soletis inqvam vel earum crines, vel eundem colorem gestare, vel earum vestiendi rationem, qvam proximè imitari. Sed absit hic obscœnum, absit leve aliqvid. Flectite oculos hodierna luce in Infantem JESUM, hoc ipsum (tua venia Redemptor loqvor) æmulantem. Hodie etenim naturæ humanæ amore captus,

captus, ut suos intimos recessus amore flagrantes ei manifestaret, eosdem crines, eandem carnem, eosdem colores gerit; inter qvos primum sibi locum vendicat, rubicundus sangvine tenelli Jesu, velut supremum ac nobilissimum cœlestis amasiæ insigne. Qvod ipsa qvondam sagaciori intuita oculo, suiq; dilecti amore tripudians, hæc svavissima protulit verba. *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Poteras ne ô homo talem tibi amorem vel ad unum momentum imaginari, qvo majorem Orbis hic non aspexit, neq; ad diem decretorium intueri valebit. Non est qvod tu amplius Sichimitarum Princeps, (ut Genesis 34. legimus) amorem erga Dinam filiam Jacob jactites, erga qvam ut tuum affectum testareris, circumcidi te, legem Judaicam amplecti, extremosq; cruciatus, qvanqvam deliciis assvetus, perpeti velle ais. Princeps etenim cælestis C. J. delicium æterni Patris, irretitus naturæ humanæ, Adami filiæ, amore, amorem ei qvem cœlum terraq; stupet, demonstravit, utq; ejus castissimâ frueretur societate, incarnari, circumcidi, sangvinem suum tam tempestivè, in novo anni initio, in pignus amoris indivulsi præbere voluit. Non est qvod tu ulterius Sephora affectum tuum erga Mosem tenerrimum deprædices, cujus vitæ conservandæ causa prolem masculam circumcidisti ipsoq; viso exclamasti (ut Exodi 4. habemus)

spon-

Sponsus sangvinum tu mihi es. Infans etenim JESUS, ut publico documento cor suum amore erga hominem æstuans declararet, vix huncce mundum visitans, tenellum corpusculum incidi patitur, cruorem recentissimum, in vitæ humanæ conservationem dispensat inqviens: *Sponsus sangvinum tu mihi es.* O amorem! omni humana cogitatione sublimiorem, *de cujus excellentiâ non multo plus in his corpusculorum ergastulis inclusi intelligimus*, qvam infantulus uteri tenebris circumfusus, de luce hujus fulgentis aeris cogitare potest. Judæi aliqvando conspicientes lachrymas Salvatoris nostri in resuscitando Lazaro effusas, qvasi evidenti convicti argumento, intensum amorem in eum collegerunt. *Ecce qvomodo diligebat eum?* Dicite mihi Logici, qvi argumentandi formam modosq; nostis, qvi solerter conseqvens ex antecedente deducitis? Dicite inqvam, num Synagogici hi in bono modo figuraque ratiocinentur, num legitimam conclusionem, ex vero antecedenti eruant. *Flevit in funere ejus. Ergo dilexit eum.* Nonne potiori ac perfectiori modo piissimæ animæ, cœlestibus illis delibutæ deliciis discurrent? *Christus Jesus vix huncce orbem ingressus octo dierum infantulus in novi anni auspicio sangvinem effundit, venulasq; tenellas incidi sibi propter hominem patitur. Ergo diligit illum.* Si etenim lachrymæ istæ communes

&

& aqveæ, teſtes ſunt & indices amoris, qvid dicam de ſangvineis JESU? nonne illæ luculentiſſimum amoris erunt documentum? cum profundiſſimus ille arcanorum divinorum Explorator *Joannes* inter præcipua veræ humanitatis JESU teſtimonia ſangvinem annumerat, dicens: *Tres ſunt qvi teſtimonium dant in terrâ, Spiritus, aqva & ſangvis.* Extollatur jam laudibus ſervi illius Romani, erga Pomponium (ut Valer. Max. lib. 6. c. 3. commemorat) amor, qvi dum eum ad crudelem necem a lictoribus conqviri cerneret, ejus veſtibus indutus, a lictoribus velut reus comprehenſus domini vitam ſervavit ſuam perdidit; cujus gratitudinis memoriam ex ærea confectâ apud poſteritatem ſtatuâ herus conſervatam voluit. Extollatur, inqvam, ſed ita tamen, ut Infantis JESU amoris dignitati laudiq; primariæ faſces ſubmittat, tanqvam præcipuo omnium hujus mundi amorum Dictatori. Dum etenim deplorandam illud peccati mancipium homo, ab æterna juſtitia conqvireretur, circumciſioni funeſtæ, morti, damnationi ad clepſydram æternitatis duraturis addicendus, ſubjecit ſeſe in locum ejus Infans CHRISTUS, naturæ ejus habitum aſſumpſit, ſervi locum Dominus cœli & terræ occupavit. Qvid plura? Circumciſionis gladiis ſeſe hodie expoſuit, utq; ſervo vitam conſervaret, ſuam ultrò prodegit. Ecqvod amoris indicium! an-

an non jam ei arcus? an non ſtatuas? an non pyramides in ſempiternam recordationem in animâ noſtra locabimus? Stet ſtet ipſa trophæorum moles, magnificis inſculpta literis, immenſo infantis JESU amore exarata, ampliſſimis illuminata gloriæ ſyderibus, qvibus (ut in omnes æternitatum myriadas luceat) faces ſplendidiſſimas infinita ſuccendat æternitas. *Adeo etenim ingens eſt amor hic, ut non ſolum ſangvine hodierno recenti, ſed & crudeli futurâ morte* magnitudinem ac vehementiam teſtetur. Ad qvam enunciandam non voce & latere Oratoris exigui, opus eſſe cenſeo, nec Cherubinorum ac Seraphinorum lingvas & ardores, ſufficere arbitror, ſed ipſius Infantis JESU ſvadam, qvi qvondam Cant: 2. in hæc verba prorupit: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis qvia amore langveo.* Verè infans JESUS amore langvebat dum ſacroſanctas venas hodie cultro reſerari juſſit, dum vitam ſangvine incepit, præ langvore amoris tandem, ſangvine ipſam finiturus. Verè amore langvebat. Amor qvippe eum cælo elicuit, amor in ſtabulum dejecit, amor inter bruta animalia collocavit, amor ſangvinem tam citò expreſſit, amor ardore corripuit. O qvam vehemens DEUS Bone hic amor! Cœlum ſangvinem ei minuendum eſſe exiſtimat, ideoq; hodie venula ſecatur, & dum cultellus unus vulneri faciendo ſangviniq; eliciendo,

non

non sufficiat, aliam procul dubio incisionem decernet, decernet spinas capiti, decernet flagella tergo, decernet lateri lanceam, decernet ad aperiendas venas, durissimos manibus clavos. Sed, qvid inde? tamen ille amore langvet, amore langvens, sangvinem in ipsis cunabulis matutino vitæ tempore præbet, uberiorem in atrocissima crucis laniena sub vitæ vesperam præbiturus. Hæ sunt causæ O.O.AA. Sangvinis JESU in tam tenellâ ætate, in novi anni principio effusi, à Divina Sapientia mediocritati nostræ suppeditatæ, qvæ qvoniam nulla Orationis genere copiosissimo licet ac magnifico pro dignitate celebrari possunt; prohibeatq; severè sanctio *Solonis* ne nempe sacra res peragatur in transcursu; Reverentius faciam si illibata hæc judiciis ac cogitationibus vestris ô religiosissimi piique Auditores committam, qvam si culpa ingenii lingvæq; defectu amplius contaminem. Sufficiet jam nobis, si tam insigne CHRISTI JESU donarium, sangvinem nempè prô nobis tam maturè effusum, gratitudine eximiâ amplectamur. Sufficiet nobis, si tam honorificam benignitatem Patris Cœlestis, qvæ nobis dilectissimum filiolum sangvine hodie rubentem largita est, insigni aliqvo munere, ad aucupandum ejus favorem, rependamus. At ubinam per DEUM facultas eam remunerandi suppetit, dum & unica sangvinis Infantis

fantis JESU guttula, ampliſſima qvæque regalia munera vincit, dum terram, cœlum omnemque eorum ornatum ſuperant. Solebant Arcades (teſte Plinio) qvotannis Jovi parvulum immolare, hac ratione DEORUM iracundiam averti credentes. Simile qvid luce hodiernâ præſtemus, non jam futili Jovi, ſed Æterno Patri DEO OPT. MAX., parvulum JESUM in cunis vagientem, cruoreq; rutilantem exhibeamus. Qvem ſi Pater cœleſtis conſpexerit, ſubitò ipſum delictis noſtris offenſum placabimus, præterea, feliciſſimè hunc annum ſangvine JESU inchoatum finiemus, aliosq; ſeqventem ad prolixam ætatem, in proſperitate divinaq; clementiâ perducemus; ad extremum aureæ pacis tranqvillitate irradiabimur, qvâ fulgentes in metu ac amore nominis JESU, noſtræ caducæ vitæ annos ſuperſtites ducere, gloriamq; DEI cœli prædicantes, per orbem cantare qveamus.

DIXI.

SER-

SERMO X.

Mira quædam ac jucunda SALVATORIS *artificia exhibens: qvibus stupendam de Diabolo, Morte, Inferno, victoriam reportavit.*

Habitu, dum vices Academiæ Cancellarii in solenni promotione, agerem.

Vide in Syllab: Serm:

MAgnifice D. Rector, Reverendissimi Illustrissimi Principis ac Domini DN. ADOLPHI FRIDERICI, Ducis Megapolitani, Principis vetustæ gentis Henetæ, Comitis & Administratoris Sverinensis, Rostochii & Stargardiæ Dynastæ, Cancellarii hujus Academiæ magnificentissimi, Domini nostri clementissimi &c. nec non Amplissimi Prudentissimi hujus Urbis SENATUS &c Legati. Viri Magnifici Nobilissimi, Reverendi, Consultissimi, Experientissimi, Clarissimi, Domini Studiosi nobilissimi ac selectissimi.

Pindaro referente, finxerunt Poetæ, LABOREM, qvondam, Supremo DEORUM Jovi conqvestum fuisse, qvod cum reliqvis filios ac successores exhiberet, ipse nihilominus sterilitatem

exosam pateretur, atq; infæcundus absq; liberis, invitam qvasi vitam traduceret. Qvid ad hæc Supremus Deorum Jupiter? convocari jussit Deorum Concilium, communibusq; suffragiis decrevit, ut LABORI prô filiô GLORIA assignaretur; unde Pindarus ibidem ait: *Natus laboris gloria.* Felix sane successio, illustris licet paulò tardior LABORIS PARTUS. Sed, sit hæc fabulosorum Pictura Poetarum. Re ipsâ hocce tempore, LABOREM qvorundam Virorum ac Juvenum Honestissimorum & Doctissimorum, in Philosophiæ sacris sedulò desudantem, & per annorum aliqvot spacia ad laudem Virtutis & Eruditionis tendentem conspicimus; qvi ne aliqvam sterilitatem atq; infæcunditatem, cum ignominiâ ad posteros transmittendam, tolerarent, simile qvid attentavit. Spectabilem nempe p. t. Facultatis Decanum, velut Jovem qvendam accessit. Qvid ille? convocato aliorum Collegarum, pro more vetusto Collegio, seriâ deliberatione, severiori in LABOREM privatâ & publicâ inqvisitione factâ, concordi ac unanimi consensu cum illis ipsis statuit, ne amplius de sterilitate conqvereretur, imo ut latissimus ipsi exhiberet sese fæcunditatis non in vulgari sed literato Orbe campus, statuit inqvam ut in hac publicâ festivitate Soboles ipsi præstantissima tribueretur, Gloria, nempe (in facultate Philosophicâ) Doctoralis,

qvem

qvem hic Magistralem appellant. O faustissimus laboris literarii partus, qvi vigebit memoria seculorum omnium, qvem posteritas alet, qvam ipsa æternitas intuebitur. Ad qvem erubescit fæda Voluptas, erubescit lubrica mundi prosperitas nullos alios gignentes filios, non alios parturientes fætus qvam dolores, anxietates, ærumnas, ludibria hominum, humanæq; fabulæ partem, ut hisce Matribus nihil melius in illorum Genethliacis diebus liceat loqvi qvam extrema gaudii luctus occupat. Verum Labor hicce anteqvam voti sui compos per me qvoq; reddatur. Suspendi adhuc aut detineri paulisper in hoc Augustissimo Consessu debet, donec ego tum antiqvissimæ ac laudabili consvetudini morem gerens, tum hocce munere mihi demandato, honorificè fungi cupiens, exhibeam, dum & id temporis præsentis consideratio exposcit, mira qvædam ac jucundissima Salvatoris nostri CHRISTI JESU stratagemata ac artificia, qvibus Capitales non solum suos, sed & totius generis mortalium Hostes, Diabolum nempe, Mortem, Infernum vicit, totiq; terræ ac cœlo stupendam de illis Victoriam reportavit. Utar pro virili rebus & sensibus magis constante Eloqventiâ, qvàm verborum floribus, neq; sermonis mei immodicâ prolixitate fastidium præbebo. Saltim te Spectatissima O. O. Auditorum Corona obnixè rogatam velim, ut

mihi aures benevolas accommodes, qvæ mihi in aliis publicis actibus velut benignitatis ac benevolentiæ fontes copiosi patebant. Rex ille, qvo Judæorum theatra nihil potentius aspexerunt, Salomon, mirabilius præ cœteris ænigma, in qvo concipiendo sudat humana mediocritas *Prov. 30.* profert: *Tria sunt, quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit feliciter: Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum, Gallus succinctus lumbos, & Aries, nec est Rex, qvi resistat ei.* Novi nonnullos S. S. interpretes ænigma hoc cum *Nicolao Lirensi* de qvatuor illis, Babylonico videlicet, Persico, Alexandri & Romanorum imperiis ad literam intelligentes, & per Leonem *Nabuchodonosarem* Babyloniæ Regem, per Gallum *Cyrum* Persarum Regem, per Arietem *Alexandrum Magnum*, per Regem denique *Romanorum Imperium* aliis regnis validius ac potentius indicantes. Verùm liceat jam mihi mystico ac spirituali sensu per hunc locum cum Magno illo Gregorio l. 33. mor. c. 5. qvatuor illa insignia Salvatoris CHRISTI Jesu munera ac officia, Prædicatoris nempe, Redemptoris, Justificatoris, & Glorificatoris interpretari. Gallus enim dormientes suo cantu excitans Christi peccatorum sordibus sese volutantes expergefacientis insigne est simulacrum. Aries præcipuè ille Abrahamiticus vepribus hærens in Isaaci immolatione in sacrificium DEO

obla-

oblatus Christum coronâ spineâ redimitum & in ara crucis immolatum egregiè exprimit. Leo rugiens peccatum superantis, nobisq; gratiam sanctissimam largientis Christi eximium est testimonium. Rex verò glorificatoris præclarissimum officium designat, cui qvi resistat nemo reperiri potest. Qvare prudentissimè Salomon, Tria esse, qvæ bene gradiuntur, dicit, nimirum tres esse illas *Prædicatoris* nempe, *Redemptoris*, *Justificatoris* nobilissimas functiones, in qvibus virtutem suam ac potentiam *Christus* luculenter manifestavit. Sed *quartum feliciter incedit*, id est, cum majori longè nominis splendore qvarto illo *Glorificatoris* officio functus est, dum nempe velut Rex ac Universi Monarcha è sepulcro divino suo robore processit, tamq; stupendam victoriam de hostibus suis, imò & nostris adeptus est, brevi tandem in cœlorum cacumina conscensurus, hocq; sublime officium ad clepsydram æternitatis continuaturus. Sed *hocne qvartum tam feliciter incedit?* incedit. Summus enim bonorum largitor, licet in Verbi Divini Seminatoris munere admirabilem se exhibuerit, non tamen absq; aliqva infelicitate ab Evangelio resistentibus originem trahente, negotium processit, qvandoqvidem tres ex qvatuor seminis partibus suffocatas fuisse proh dolor! (Lucâ ipso c. 8 attestante) legimus. Licet & Redemptoris officio

Vindex libertatis munificè perfunctus fuerit, ut ipse Psalmographus Ps.129. fatetur: *Copiosa apud eum redemptio:* Sed nec hîc infortunium aliqvod ex parte ingratorum defuit, dum præter stupendos sumtus, totum cruorem purpureum omnibus thesauris orbis opulentiorem, paucis electis exceptis, aliis nunqvam Redemptio profuit, nec in æternum proh dolor! illorum culpâ proderit. Licet ad extremum & Justificatoris munus filius Dei dextrè admodum peregerit: Sed non absq; plurium rebellione, qvi illius justitiæ participationem vix primis labris degustârunt. Sed qvartum saltim feliciter incedit, dum nempe hodie gloriosè è sepulcro infinitâ suâ potentiâ prodit, Glorificatoris munere perfuncturus, omnibus numeris absolutâ prosperitate omnia peragit. Nihil jam adversitatis miscetur, omnia desiderii sui ardentissimi mensuram explent. *Et non est, qui resistat ei.* Qvid plura? gravissima omnium bellorum bella conficit. Dæmonem, mortem, infernum subigit, superat, vincit, opprimit, & de tam capitalibus hostibus absq; multorum cæde solo suo labore immenso, ac stupendis artificiis triumphat, neminem tam sublimis victoriæ in hoc Orbe caduco socium cernens, qvi tam insignem triumphum saltim adumbrare, si non adæqvare possit. Taceat *Pericles* Athenienſium Dux fortissimus suam ex Samiis victoriam reportatam,

ejus

ejus enim lętitiam multorũ cædes imminuit, ejus splendorem insignis qvædam matrona Elpinice nomine obnubilavit, dum obviam Victori è bello redeunti cum lacrymis hisceq; verbis processit: *Præclara sunt ista, quæ gessisti, qvi nos tot fortibus viris & liberis spoliásti.* Sileat & Pyrrhus Epirotarum Rex duplicem licet contra Romanos obtentum triumphum, qvi tot millium internecionem animo volvens dixisse fertur: *Si uno adhuc prælio Romanos vicerimus, actum fuerit de nobis,* qvasi nihil existimans prodesse victoriam tanto cruore ac sangvine perfusam supercilioſè jactare. Supprimant silentii horrore fortissimi Duces vel INVICTORUM titulo exornati, supprimant inqvam faustissimos bellorum suorum successus, & Liberatori nostro resurgenti velut unico ac præcipuo inter Triumphatores Dictatori fasces humiliter submittant, qvi absq; vel minimi homuncionis perditione; hoc enim ipse Joan. 18. fatetur, *Pater qvos dedisti mihi non perdidi ex eis qvemqvam;* absq; bellicis tormentis absq; armatis militum copiis, ac tandem absq; ullo humano auxilio, acerrima bella cum præfatis hostibus commisit, eosq; solus, talibus sane qvæ superant humanam mediocritatem stratagematibus domuit, debellavit, fudit, sustulit. Prodeat jam primus ex hostibus capitalibus callidissimus ille malorum omnium architectus & coryphæus Diabolus,

qvilibetq; veſtrum, dum pro modulo ingenii mei à DEO tributi vires intendere cupio, qvilibet inqvam qvæſo, artificia Chriſti Reſurgentis advertat, qvibus impudentiſſimum hunc qvondam aggreſſorem confecit, & ita confecit, ut nullos jam ulteriores ad aciem campos petere poſſit, ubi vel exultet, vel triumphet, vel ſeſe amplius putida ejus vel in minimo jactet audacia. Novit hoc probè illud ſacri codicis armarium Paulus & admiratus inſignem C. J. de Dæmone victoriam ad Coloſſ. 2. exclamat: *Expolians principatus & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo*, vel ut alli vertunt, *in ſemetipſis*. In cujus loci verbis, ubi vulgata legit, *traduxit*, Græcum interpretem transferre τὸ exemplificavit, adverto eo fine & ſcopo qvaſi diceret non ſolum hoſtem generis noſtri vicit, ſed palam multis cumulavit opprobriis, eumq; in ſignum ac exemplum famoſum toti terræ cœloq; ſtatuit, antiqvos Romanorum triumphos æmulatus, in qvibus, ante ipſos triumphantis victoriæ currus, victi & captivi, catenis onerati, manibus poſt terga revinctis, ad enormius illorum decus, ad ampliorem triumphantis gloriam, palam oſtentati procedebant. Paulò jam profundius ad divina ſtratagemata intellectum demittamus. Memini *apud Solinum lib. de admir.* me legiſſe, qvod etiam *Polybius* vidiſſe teſtatur, in Africa plurima à Leonibus

nibus hominum millia enecata, multisq; in hanc rem sed in cassum remediis adhibitis hoc tandem extremum pharmacum malo inventum fuisse. Leo nimirum capiebatur, patibulo suspendebatur, suspensus cæteris leonibus exponebatur, qvi suspensi leonis morte perculsi, in fugam sese præcipites dederunt. Conjiciant jam qvæso ocujum sagaciorem in seqveſtrum generis humani C. J. & Aprico Sole clarius, similia ipsum Diabolo feciſſe videbunt; qvid tandem? suismet clavis, deterrimum Luciferum illum publicum mortalium interfectorem; qvi tanqvam leo rugiens, (ut Petrus ei exprobrat) circuit qværens qvem devoret Universalem illum homicidam cruci affixit, ut alii dæmones principis sui ignominiam videntes, animos in totum dejicerent. Jam hic nihilominus detrahere aliqvid glorioſæ Christi victoriæ, criminator hicce satager, & licet per modicum tempus, decidiſſe tamen in agone Salvatorem *Leonem de tribu Judâ* in cruce suspensum dicet. Interea si paulò accuratius hunc casum examinare voluerit, non dedecoris illum indicium, sed singularis stratagematis argumentum extitiſſe advertet. Velut enim Athleta neqvaqvam infamiæ notam incurrit, si cum hoste pugnans, una cum hoste concidens, victo adversario invictus assurgat. Sic Christus cum athleta dæmone dimicans, qvem nullæ unqvam vires superare

rare poterant, ut ipse Job. 42. c. fatetur: *Non est potestas super terram quæ comparetur ei*, illumque glorioſiſſimè devincens, nullum vituperium imo maximam gloriam promeretur, qvamvis paulisper in lucta, cum eo conciderit, non enim virium hebetudine, non virtutis defectu ſed de induſtria ad eludendum hoſtem id fecit, & illo ad pedes proſtrato, invictus illicò aſſurrexit. *Aſſurrexit* per tria tantum dierum ſpatia in ſepulcro cadens, dum dæmon per totam illam immenſam ſeculorum æternitatem ad ipſos inferos, fulminis inſtar relegaretur. O artificioſum cum lucifero hoc infernali prælium! O ſtratagema, ab ipſis Angelorum mentibus & cogitatione ſecluſum! Qvod dum magis ac magis mente volvo, venit in illam pugna Draconis cum Elephante olim lecta, in qvâ conflictum Salvatoris mei cum Dæmone melius adumbratum eſſe, qvam penicillo Apellis cæloq; Lyſippi, conſpicio. Docet celeberrimus ille naturæ Scriba *Plinius* Draconem calidiſſimæ naturæ eſſe, atque adeo mira ſiti impulſum Elephantem ſangvinis frigidiſſimi, ad ſitim eo reſtingvendam qværitare, qvem cum poſt ſeriam ac prolixam explorationem arbori alicui adnixum comperit, (ſic enim dormire perhibetur) ſangvinem ab ejus venis, ſiti ardentiſſima correptus, avidiſſimè ſugit. Tunc exangvis elephans, inſtantem mortem intuens, in terram decidens,

cidens, sui corporis pondere Draconem prætet ejus spem comprimit, sicq; moriens, mirabile auditu! victoriam de Dracone reportat. Qvid jam de Lucifero infernali proferam? Est *Draco iste* (ut cum Regio Psalte Ps. 103. loqvar) *qvem formasti ad illudendum ei.* Draco cum qvo olim Michael, (ut Joan. Apoc: 12. vidit) *præliabatur.* Draco adeo ignitæ naturæ, ut ipsum Jordanem fluvium velut Heluo monstrosus potare audeat. *Absorbet* (ait Job) *fluvium, & non mirabitur, & habet fiduciam, qvod influat Jordanis in os ejus.* Draco iste, non solum peccatores, qvi suarum passionum fluctibus deferuntur, verum justos ipsos Jordane expressos per qvos supremus Deus tot mira prodigia patravit, absorbere expetiit. Qvid dico justos? ipsius Christi Jesu sangvinem roseum sitiit, purissimo hoc liqvore nefandam sitim explere contendit, & ideo hunc arbori crucis innixum, Hebræorum manibus & ore suxit, suxit, sed funesto eventu suctionem illam obsignavit. Christus etenim in huncce draconem decidens, divinitatis pondere in eum irruens, compressit, qvod ipsi Scriptura S. gratulatur dicens: *Tu confregisti capita draconis.* Recenset Propheta Daniel c. 14. Babylonios draconem qvendam per cujus os dæmon loqvebatur, responsaq; dabat, adorasse; qvem impium cultum cum S. Propheta ægerrimè tulisset, mederiq; rebus

rebus adeò afflictis instar benefici Syderis de cœlo tunc Babyloniis delapsi, voluisset, massam qvandam ex pice, adipe, & pilis confecit, illamq; in os draconis conjecit, qvam cum draco sumpsisset, continuò interiit. *Tulit* (ait sacer textus) *Daniel picem, & adipem & pilos, & coxit pariter, & fecit massam, & dedit in os draconis, & diruptus est draco.* O grande Mysterium! (ut cum Gregorio Nisseno loqvar) ubi buccea illa qvæ draconis sustentationi ac vitæ cedere debebat, eidem perniciem intulit. O admirabilem victoriæ, à Redemptore de dæmone reportatæ, effigiem! ubi CHRISTUS se ipso veluti bucceâ nobilissimâ in qva & picem humanitatis in crucis lanienâ livorem ac nigredinem contrahentis, in qvâ adipem pingvis suæ divinitatis cernere licet, venificum illum serpentem ac draconem infernalem medium disrupit, atque de ipso gloriosè ttiumphavit. Expertus jam Dæmon suarum virium imbecillitatem, suamq; æternitati consecratam infamiam conspiciens, Mortem in sui præsidiũ ac opem advocavit dicens Ps. 37. *Stemus simul, qvis est adversarius meus?* Advenit à dæmone vocata stulta mors; qvæ qvid præstitit? non minori sanè stratagemate expedita, pungenti aculeo CHRISTUM feriit, sed ad instar temerariæ apis in vivam carnem sævientis succumbit, vivamque Christi carnem, in qva divinitas vigebat, feriens

depe-

deperiit. Taurus Sylvestris ut Geminianus narrat colores mirum in modum abominatur; venator versus ipsum viridi aut purpureo colore incedit. Qvi tauro mira ferocitate impetum ei intentante, post qvandam arborem fugit, eôque artificiô stupidum taurum frustratur, qvi cornua arbori imprimens, indeq; ea educere non valens, à venatore confoditur, sicq; à furore ipso, qvo in inimicum efferbuit, hostis manibus extraditur. Non dissimili profecto pacto Servatori nostro evenisse arbitror, qvi cum purpureo humanitatis habitu cruci affixus esset, irruens in eum Mors, ut crudelis taurus, cornua in crucis arborem tam firmiter intulit, ut cum victricem se maximè jactaret, victa fuerit, eiq; cornua Christus venator ille animarum nostrarum eximius detraxerit. Qvod prædixerat Abacuc dicens, *Cornua in manibus ejus.* & ipse Gentium Apostolus 1. Cor. 15. morti, tanqvam devicto tauro, sibillans ac illudens objecerat, inqviens: *Ubi est mors stimulus tuus? ubi est mors victoria tua? ubi tuarum virium aculei?* O *mors ero mors tua.* Non tibi amplius tantam sevitiem in genus humanum exerere, *non* in illorum vitam velut in vacuam possessionem qvidqvam juris habere licebit. Væ qvi prædaris Isaias clamat, nonne prædaberis? qvasi dicat, qvi prædæ se totum rapinæq; devovit, affulgebit tandem vel unica horâ qvâ ad omnium rerum restitutio-

tutionem compelletur. Qvale jam judicium Spectatissima Auditorum Corona de morte statues? Nonne illa tot millia millium humanorum corporum fuerat deprædata? Qvis verò hujus prædæ publicæ fructus? Restituere coacta est CHRISTO Resurgenti, aperire compulsa est loculos suos, in qvibus prædam ac rapinam suam antiqvam, à primi parentis nostri peccato auspicatam occultaverat. *Monumenta aperta sunt*, reserata illa prædatricis hujus marsupia, & *multa corpora SS. surrexerunt.* Accidit id revera morti ut video qvod latro experitur, qvi exigui momenti res per tot annos rapiens, tandem cum pretiosissimum ac ingens aliqvid sustulerit, omnia in patibulo suspensus munificè exsolvit: sic mors rapuerat fateor, absq; supplicii metu, incipiendo à nostris parentibus vilissimi momenti vitas, vitas in ictu oculi transeuntes, umbras facilè aufugientes. Punctistitia cito citissimè transeuntia, &, ut cum Jacobo loqvar c. 4. *Vapores admodicum parentes*, sed CHRISTUM, cujus vita inæstimabilis erat virtutis, & incomparabilis valoris, rapiens, cum horrendum illud furtum, crimen læsæ majestatis commisisset, subito morte damnatur. O *mors ero mors tua*, subito furta restituere cogitur. *Et monumenta aperta sunt*, Velut enim gulæ irretitus lenociniis, pluraque qvam stomachus patitur deglutiens, turpiter

omnia

omnia evomit, sic mors voracissimâ cum multa hominum corpora deglutiisset, hâc unicâ corporis Jesu buccellâ, adeò erat turbata, ut multa evomere cogeretur, Evangelistâ (ut audistis) dicente: *Et multa corpora Sanctorum resurrexerunt.* Non incongruè sanè aptarem hic qvæ de Antheo, terræ filio prudens effinxit antiqvitas. Velut enim ille, qvoties cum Hercule dimicans prostratus terram attingebat ab illâ velut parente gremio exceptus ad vitam iterum atq; iterum revocabatur, donec tandem ab Alcide brachiis suspensus & in altum sublatus, victus conflictum terminaret: Sic terræ filia Mors cum terrenis ac caducis hominibus manus conserens vinci ac coerceri non poterat, parens enim terra vires ac robur morti suppeditabat, donec tandem Christus *homo de cœlo cœlestis*, ut Paulus dixit, eam facilius prosternendam è terra elevaret, donec inter Dei hominis brachia eam constituens, eisdem brachiis qvamvis clavis pro incolumitate mortalium æternâ confossis enecavit, mandans felicissimo successui intima illa prædicta vota: *O mors ero mors tua.* Nec immeritò apponerem adhuc hic qvod rerum naturalium scrutatores de colubro enchydros vocatô commemorant. Hunc Crocodilus innato qvodam odio infectatur: enchydros verò cum illum pascentem invenit, sub herbis sese abscondens, in os illius ingreditur, ventrem

ventrem & viscera facillimè, juxta Plinium mollissima disrumpit, & sic mortuo Crocodilo illæsus egrediens, ejus victor evadit. Qvis per Deum, absorptum enchydrum conspiciens, non illum victum, victoremq; Crocodilum judicaret? at econtra rem se habere percepistis, succubuit Crocodilus, superavit Enchydros. Sic sic profecto devoraverat mors Christum, qvem *D. Ambrosius* de Spiritu S. l. 3. c. 9. per serpentem *in deserto* exaltatum *intellexit; devoraverat* eum, cujus humanitas unita verbo, hærente naturâ, omnem stuporem evicit, & ipsam impulit æternitatem. Verum ipse (ô artificium superans captum nostrũ!) mortis viscera discerpens mortem interfecit, & post trium saltim dierum spacium elapsum, mortis victoriam annuncians è sepulchro glorioso erupit, ut jam ipse *in illa* aureis digna literis verba Eusebii Emisseni *hom. 6.* pasch. erumpere cogar: *Mortis iniqvitas qvæ tanqvam hominem vincere gaudebat, expavit subito prædam suam, & in suo regno, à suo subjugata est captivo, ideo suis laqveis illigata, & irretita perditio, dum deciperet sublata est, dum interficeret extincta est, dum devoraret absumpta est.* Absumpta inqvam, qvæ antea de immortalitate gloriata superbè fuerat; absumpta est, licet enim qvoad inferiorem hominis partem, robur sibi aliqvod & hodie prætendere audeat nobisq; illud 2. Reg. c. 4. objiciat: *Omnes*

mori-

morimur & qvasi aqva dilabimur, in illa nihilominus extremâ die, qvæ de summa vitæ fetet sententiam, dum totus justorum cætus ad exemplar Salvatoris ex suæ sacrosanctæ passionis meritis, nunqvam moriturus, resurget, totam prorsus tyrannidem est depositura. *Cum mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qvi scriptus est absorpta est mors in victoria tua*, inqvit 1. Cor. 15. Apostolus. Observes jam gratoq; animo recolas, tam acuta divini ingenii stratagemata sera posteritas, nunqvam apud te ô mortalis intercidat tam eximiorum operum contra mortem, cælitus adornatorum memoria, in qvæ dum exilem meam mentem confero, ac in Sepulchro adhuc Victorem mortis glorioſissimum, decumbentem perpendo, qvale nam ipsi Epitaphium, ex qvo illustrius triumphus de morte reportatus eluceſcat, adornare debeam totus hæreo, nec tamen negligendum à me existimo, qvod ipsis terrenis ac caducis Victoribus, de bonis hujus mundi usu tantum non mancipio nostris de fæno, de umbrâ, imò de nihilo non tripudiantibus, est denegatum. At qvale nam illud erit? Erit ne domitoris illius regnorum celebris *Alexandri M.* (ut Plutarchus refert) Emblema. Asia nempè & Europa devicta cum hac inscriptione: *Alexandri victoria?* non erit. Erit ne *Cyri* Regis tali inscriptione additâ: *Hic jacet Persarum debellator?* non

erit. Erit ne *Themistoclis* in monumento inciſum hiſce verbis totius vitæ facinorum compendium: *Memoranda facta Themiſtoclis?* non erit. Erit ne vel ipſius *Joſue* emblema, Solis nempe imago, hiſce inſcriptis: *Sol contra Gabaonem ne movearis?* non adhuc erit; Sed tale erit, qvod omnes Heroum inſcriptiones vincet, qvod omnium illuſtrium Virorum Epitaphia & Emblemata ſuperabit. Qvibus ſepulchra, qvaſi virtutum præconibus, qvaſi facinorũ compendiis decorabantur. Et tale illud eſt, qvod ſoli CHRISTO Codex attribuit ſacer, qvod è diametro cum omnibus factis Epitaphiis pugnare videtur: *Surrexit, non eſt hic. Alexandro M.* nihil aliud inſcribi debet, & poteſt, qvam, *Hic jacet*, Regi *Cyro*, *hic jacet*, *Themiſtocli*, *hic jacet*. Auguſtiſſimis illis Orbis Imperatoribus ac Regibus licet immortalitati qvoad Nobiliſſimam partem qvæ Libitinam fugit, & qvoad Cedro digniſſima facinora æternitati conſecratis. *Hic jacet*. Sed ſervatori noſtro ſoli & unico, tale & non aliud Epitaphium erigi debet, In qvo Mors devicta catenis conſtricta, manibus poſterga revinctis, interfecta depingatur cum hiſce verbis: *Surrexit non eſt hic*. Non enim inſtar aliorum diu jacuit, ſed appropinqvante die tertia, ablatam à morte vitam, vitam multo melioris conditionis, accepit, immortali ac impaſſibili carne indutus, glorioſiſſimus reſurrexit. Et ut myſte-

mysterium in hoc Epitaphio reconditum eò clarius pateat, addam & alterum super Salvatoris mei sepulchrum, veluti primi illius commentarium. Depingam nempè *Emblema* tale; Phœnicem nimirum avem, hæcque cum priori in uno sensu conspirantia, adjiciam: *A me ipsa renascor.* hoc est, non ego jaceo, instar aliorum mortaliũ, surgo virtute propria, renascor per me ipsam, resurgendi ac renascendi vim à nemine emendico, alienas fores, pro suppetiis ac ope non pulso, intra me ipsam, vim inditam velut Phœnix possideo. Qvemadmodum enim Phœnix, morti se vicinam sentiens, naturæ impulsu ex arboribus odoriferis ac aromaticis ligna colligit, & in illis tanqvam intra suum nidum alas qvatiens, eoque concussu ligna accendens, se ipsam deniq; comburens, ex cineribus in vermiculum transit, ex hoc verò denuo, (si naturæ indagatoribus fides habenda) in vitam renascitur, ut meritò dicere possit: *A me ipsa renascor.* Similiter Mediator noster Phœnix (juxta *D. Ambrosium* & *Lactantium Firmianum*) in mundo singularis, dum instare sibi ultimum ævi terminum adverteret, in sepulchrũ velut in nidum se contulit, odoribus se ipsum ac aromatibus precioſis inungi permisit. Centum qvippe libras myrrhæ & aloes emptas fuisse ad sacrum Jesu corpus condiendum, Scriptura recenset, & sic alas omnipotentiæ suæ, propriâ virtute

tute divinâ qvatiens, à morte in vitam, & qvidem in vitam immortalem Phænix divinus renovatur, ut jure merito de se ipso usurpet: A me ipso renascor. Mortem enim insigni hoc artificio vicit. In nidulo (ut cum Jobo 29. loqvar) qvasi moriens, sicut palma (vel ut Translationi Græcæ, & Venerabilis Bedæ, in Job: c. 12. commentanti aliqvid concedam,) *sicut Phænix multiplicavit dies suos, mortem capitalem hostem æternâ ignominiâ & pernicie affecit, vel ut Ecclesiæ cantionem retineam* Mortem morte vicit, vitamque nobis donavit. Restat saltim tertius non minoris sævitiei hostis, non dissimilem stragem ac eventum, per æqvè subtilia stratagemata Victoris nostri Eximii expertus, infernus nimirum, vallis illa tenebrarum, & locus (ut qvidam dixit) tetras gemituum fauces expandens. De qvo paucissima saltim, temporis angustia, loqvi permittit. Sensit & illa dum CHRISTUS è sepulchro prodiret, qvæ ipsi qvondam per Oseam c. 13. promiserat: *Morsus tuus ero inferne.* Qvæ verba, si passivè sumpserimus, talem sensum, & qvidem insigne Christi artificium declarans asseqvemur; futurum nempè erat, ut in visceribus suis fætidis infernus CHRISTUM complecteretur, limbus nempè animam, sepulchrum corpus, sed cum eum inferni hi ob defectum caloris tam illustri cibo digerendo sufficientis continere nõ possent coacti sunt,

cum

cum enormi infamiæ notâ, ſubito, illum reſtituere, juxta qvod ipſe Petrus protulit: *Impoßibile erat detineri illum.* Accidiſſe inferno videtis putaverim, qvod agreſtibus illis ruſticis eveniſſe toties experientia rerum Doctrix teſtatur, qvi cum abjectis vilibusq; cibis ſtomachum aſſvefecerint, ſi nobile qvidpiam ac delicatum cibi accedat, mira & inſoleta inqvietudine, agitari ſtomachum ſentiunt, nec ſe intra cancellos honeſtatis detinere valent, donec inſolitum illud qvod aſſumſerant ſpurciſſimè evomant. Jam ad inferos, jam ad ſepulchrorum ora pergamus, mortalibus illa tantum, & qvidem diu ſordidisq; peccatorum corporibus & animabus, velut uſitatis eorumq; impuris faucibus aptis cibis veſcebantur, Verum cum inculpatiſſimam C. J. animam ſacrumque corpus temerè ac impiè abſorbere voluiſſent, indigeſtum etiam trium dierum ſpacio nolentes volentes tradiderunt, qvod in Jona illæſo, è Ceti ventre prodeunte, Scriptura pridem præſignaverat. At ſi præfata verba modulus intellectus activè interpretatus fuerit, ita ut C. J. mordens infernos morſus inferni, deſumpto à morſu materiali tropo, ducatur. Jam novum ſtratagema, jam novum & nobiliſſimum inferni devicti artificium ſeſe manifeſtabit. Ut etenim ille, qvi præ manibus pomum habet, id qvod in eo ſanum cernit, ſumit, qvod putridum, reſpuit. Ita C. J.

putridam reproborum partem projiciens, dulci & svaviſſima SS. Patrum buccellâ ſeſe cibavit, ſicque revera Morſus inferno fuit, ſic de ipſo etiam inferno ſubtiliter triumphavit. O vim divinorum ſtratagematum ſtupendam! O victoriam, fama & virtute præſtantem! cujus cauſa abſcondita, torqvet humanam ſortem, Angelicum exercet ingenium. Cujus deniq; celebritas eximias laudes, divinaq; præconia promeretur. Cujus ſolennitati ſi *Auguſtinus* adfuiſſet, qvid qvæſo dixiſſet? qvi qvousq; conſortio viventium aderat præter hæc vota ferventiſſima, Chriſtum nempe carne paſſibili & mortali velatum, & Paulum prædicantem videndi, celebrem aliqvem Romanorum triumphum ſpectare animitus expetebat. Qvid jam qvæſo Divus ille Pater dixiſſet? ſi jam in glorioſam hanc C. J. victoriam oculos contuliſſet, ubi non creatura, ſed Creator ipſe ac totius Univerſi opifex: non purus homo, ſed HOMO DEUS, non inter anguſta ac ſuperba Romanæ Urbis mœnia, ſed in Orbe toto ac in Cœleſti illo patrioq; ſolo, non de hoſte carne & ſangvine compacto, ſed de inferno, qvid? de morte, qvid? de ſpiritibus mundi hujus principibus, tenebrarum ſuarum rectoribus præclariſſimè triumphavit. Et per tam glorioſum triumphum, infinitos favores, infinita beneficia,

in

in Naturam humanam profusissimâ liberalitate profundit, ita se humanæ miseriæ ac infelicitati clementem ac munificum exhibet, qvasi totus hodie esset uber, vel instar Isidis simulacri apud Macrobium depicti, ex maternis uberibus conflatus. Sed nec tempus nec sermo, sub onere admirationis labens amplius ad sunt rebus immensis, Ad laborem saltim, Virorum horum ac Juvenum Pietate, Eruditione Virtute præditorum, redeo. Qvod ergo felix faustumque sit, qvia à Reverendissimo Illustrissimo Principe ac Domino DN. ADOLPHO FRIDERICO, Duce Megapolitano, Principe vetustæ gentis Henetæ, Comite & Administratore Sverinensi, Rostochi & Stargardiæ Dynastâ, Academiæ Cancellario Magnificentissimo, Vices Cancellariatus clementissimè mihi demandatæ sint. Tuque, Spectabilis D. Decane, Clarisime Collega & Amice honorande Dn. M. JOHANNES HUSWEDELI, unicè à me expetiisti, ut horum Virorum & Juvenum dotibus animi conspicuorum *Labori* ac Conatui Supremum in Philosophia gradum ac Honorem, vel nunqvam intermorituram Prolem, conferendi potestatem facerem. In re tam honestâ & æqvâ devinctum me tuis votis fateor; ideoq; ex authoritate, qvæ ab illius Celsitudine mihi data est, qvâq; in præsentiâ fungor,

tibi permitto; simulq; facultatem tribuo, ut hisce R.D.P. Viris & Juvenibus, ubi prius solito more juramentum, publico Academiæ Ministro præstiterint, Eximium Laboris præmium, supremum videlicet in Philosophia honorem conferas, eosque Doctores, qvos Magistros vocant, publicè, crees, appelles, & renuncies. Ad qvod publicum Honoris Gloriæque ornamentum, omnibus & singulis, in hac celebri festivitate, prospera & secunda, ex ipso pectoris penetrali voveo & precor, in nomine sacrosanctæ & individuæ Trinitatis.

DIXI.

APPEN.

APPENDICIS LOCO
SERMO BREVISSIMUS,
Cum Vice COMITIS PALATINI,
in conferendâ Laureâ Poeticâ, fungeret.

Plura vide in Syllabo Sermonum.

SI illud Eruditissimorum unanime effatum, verum est; Duo nempe esse, præcipua, cujuslibet disciplinæ excellentiam eximie manifestantia, Res nimirum ipsas circa qvas disciplina sedulo occupatur. Et finem sive exitum omnia ad se pellicientem, tum contemplationis modũ terminantem. Si inqvam hoc verum, prout verissimum esse, minimè ambigo commune effatum est, Tunc certe Poësis Diva illa amœnissima hęc duo in tam excellenti eminentiq; gradu complectetur, ut perfecti & sancti Poëtæ, (tales enim veros Poetas appellari Bencius scribit) paucos qvidẽ habeant pares, superiorem certè neminem. Si etenim primo obtutum oculorum nostrorum conjiciamus in res ipsas. Jam Phœbeam Poësin divinas humanasq; laudes, cum summâ voluptate celebrare videbim⁹; Nihilq; in hisce reb⁹ caducis, vel in toto Mundi ambitu reperiri cernemus, qvod vel talibus dotibus instructum non sit, ob qvas Poëseos laudem mereatur, vel qvod talibus nævis non sit obnoxium, ob qvos vituperium cer-

tum à Poëſi præſtoletur. Vivis id nobis exprimit coloribus, ſimulacrum illud Poëſeos, à Veneranda Antiqvitate in tabula qvondam depictũ, in qvâ Poëſis (ut Gyraldus Ferrarienſis in Hiſtoriis Poetarum refert) una manu Sphæram ſeu globum, qvi totius mundi formam habere videbatur, continebat. Qvaſi erudire voluiſſet prudentiſſima Vetuſtas *Nihil unqvam hancce communem lucem luſtraſſe, Nihil huic orbi accommodatum, vel ad momentum fuiſſe, ſive illud ſupra lunæ viciſſitudinem evectum perpetuitatem jactitet, ſive infra eam ſitum, de lubricitate ac fugacitate erubeſcat, qvod vel à ſvavitate Poeſeos non fuerit decantatum, vel à furore ejus in ignominiam non redactum.* Sin verò in ipſum finem ab hac inſigni Svada intentum, aſpectum noſtrũ conjiciamus, qvantumq; in rebus humanis præſtet accuratius perpendamus obſtupeſcet facile mortalis mediocritas, ad eventum hujus artis eximium, obſtupeſcet ad præſtantiſſimos uberrimosq; effectus. Qvæ etenim alia facultas magis moderatur libidines, qvæ magis coercet cupiditates? qvæ magis impetus frangit? deteſtatur vitia, amplexatur virtutes, qvam jucundiſſima Poeſis. Qvid magis intimiora animorum præcordia, incredibili qvadam voluptate titillat? Poeſis. Qvid mitiſſima qvadam tyrannide ſeſe in ipſos receſſus inſinuat? Poeſis. Qvid delicatiſſima

omnium

omnium ſervitute mentes ſibi mancipat? Poeſis; Qvę ſimul atq; illas illarumq; penetralia ingreſſa eſt, Deus bone, qvas tandem ſtrages, qvæ artificia non edit? Inflammandi ſunt animi? Poeſis in ignem aceenditur, pungendi? in ſtimulos Poeſis acuitur, illuſtrandi? in lucem Poeſis funditur, conſolandi? in Nepenthes Poeſis ſpargitur, compeſcendi? frænum Poeſis eſt, ſanandi? Panacea Poeſis eſt, deliniendi? fit Syrenula. Verbo, dici non poteſt, qvot ſunt lenocinantis Poeſeos miræ præſtigiæ, qvot & qvam admirabiles effectus. Qvos dum ad rationis judiciiq; lancem prudens Antiqvitas examinaſſet, Illam Sacrarium qvoddam in qvo concluſa ac obſignata jacent delubra Muſarum, Ornamenta Sapientiæ, donaria Virtutis, appellavit, eamq; ut elegantiſſima deliciarum ejus Æſtimatrix ac Arbitra ſublimi honore affecit, Domitiano Imperatori agonem Capitolinum Romæ ad lauream reportandam deſtinanti obtemperans, illorum nempè qvi in Poeſi palmam cæteris præripiens, capita Corona Laurea five Lauro cohoneſtavit. Illa inqvam Laureâ, qvæ cum primum publicæ victoriæ lætitiæque communis nuncia extitiſſet, cum ſaltim Imperialibus literis ac faſcibus, juxta Plinium lib. 15. c. ult. applicata, vel Victorum ſtatuis, juxta Tacitum 4. Annal. & Oratorem pro Murenâ, decreta fuiſſet, hanc poſtmodum Reverenda Antiqvitas,

cum

cum hedera myrto aliisq; frondibus, ut in Poesis imagine videre licet, ad pedes Poesis sparsim deposuit, & qva prius sola sacrorum Imperatorum Julii nempe Cæsaris, Tyberii Imperatoris, cœlo etiam tonante fulgurante, juxta Svetonium, Laureum sertum gestantis, tum & aliorum Illustrium Heroum tempora cingebantur, illam, in ipsorum etiam Poetarum, præter Æsculapium medicum vertices devolvit, & sic Laurum Pieriam Pamphilo, sic Parnassiam Virgilio, sic Apollinarem Horatio, exhibuit. Non ad alium portum vela votorum suorum collimando, nisi ut ostenderet, totius penè honoris domicilium in Poesis gremio esse constitutum, qvæ non modò in se honoratissima est, sed eos qvibus dominatur divinitatis claritate perfusos, magni qvoq; nominis celebritate nobiles facit. Tantum autem habet virium, ut se blandè immittat in intimiores pectoris sensus, qvos nullæ aliæ machinæ, potuissent expugnare, Qvanqvam Diva hæcce nobilis non omnibus sese facile offert. Tantis enim ejus, ut cæterarum rerum omnium eximiam pulchritudinem, difficultatibus, non secus ac rosam spinis natura vallavit. Qvas si qvis feliciter exantlaverit, ac superaverit, hoc ab cana Antiqvitate, impetravit, ut Poesi Laurea victæ difficultatis tessera publicaq; laborum merces daretur. Sed qvid jam subseqvens priorem antiqvitatem ætas?

nec

nec ipsa in hoc passu deterior, nec minor Poesis fautrix hosce jam Poesi consecratos honores continuavit, semperq; Poetæ per ipsos Cæsares (ut Rosinus notat) solenniter coronavit & præcipuè apud Italos & Germanos summi semper æstimii fecit Heroes illos, qvi non tantum primoribus labris degustarunt, aut extremis digitis attigerunt, prolitiorem hanc humanitatem; sed illâ copiosissime instructi augere & ornare cœlum Orbis literati luminum promeruerunt. Fateor qvidem eam qvorundam hominum severitatem fuisse & adhuc esse, qvi aures suas violari non tulerunt sermone Poeseos, sermone illo urbanioris notæ, ac vernulæ festivitatis. Sed ad illorum sententiam selectiora ac liberiora ingenia hanc insignem animi remissionem semper amplectentia, judicium suum non adscripserunt. Fateor fuisse, & adhuc esse, pravos qvosdam & detortos animos qvi nihil non suæ libidini condonantes, sivè criminis inopia, sive obtrectandi studio, ficta pro factis in culpam hujus sacræ Artis detorserunt, verum generosæ mentes tum honestatis amore impulsæ, tum severioris disciplinæ succo imbutæ, procul ab ipsorum strenuâ insaniâ abierunt, & non solum, non oderunt, sed amarunt medullitus Divam hanc. Huncq; laudabilem morem ad nostra imò hodierna tempora devolutũ, Poëtas nempè tum à sacra Cæsarea Majestate tum à Vicaria

cariâ ejus manu, Lauro coronandi, ut honestissimum ut calcar insigne Virtuti adjicientem mirum in modum commendarunt. Commendarunt egregii nec sine legitimo suffragio Poëseos censores non consultum esse arbitrantes, ut Excellens hęc (juxta Bencium) Philosophiæ parens, bonarum literarum altrix, disciplinarum custos, publico honore privetur. Qvandoqvidem ut Horat. lib. 3. Od. 11.

Virtus repulsæ nescia sordidæ
Intaminatis fulget honoribus.

Et qvandoqvidem Jure, ut *Seneca* loqvitur, Gloria virtutem seqvitur, velut umbra euntem, etiam qvandoq; invitum.

Huic jam præclarissimo tum Antiqvitatis, tum nostræ ætatis Mori hacce ipsa hora benigna fatorum supernorum series obsecundare jussit. Et qvidem in te ipso qvem jam compello Clarissime ac Eximie Dn. STEPHANE FUHRMAN. Lippiâ-Westphale, Philos. & Art. Magister; ob præclaram eruditionem divinasq; dotes, ad solidam aliqvando gloriam Dei favore & ope assurrecture, per gloriosam licet invidiam, qvâ ex meliori metallo conflati genii inclarescere, & per ruinam alienæ existimationis ad famam grassari constantis propositi habent. In te in qvam ut rectius loqvar hanc consuetudinem exeqvi præcepit hodie supremus ipse fatorum Rector ac Dispensator.

Post-

Postqvam etenim Sereniſſimus ac invictiſſimus Princeps ac Dominus FERDINANDUS II. Romanorum Imperator qvondam Auguſtus, poſtqvam inqvam. Viro Magnifico, Conſultiſſimo Dn. THEODORO REINKING Jcto, Comiti Palatino Cæſareo, de poteſtatis ſuæ Cæſareæ plenitudine inter cætera ampliſſima Privilegia, hanc qvoq; poteſtatem nempe Poetas Laureatos creandi, iisq; laureæ Poeticæ inſignia conferendi conceſſit. Ille prudentiſſimus meritorum Cenſor, ſolersq; dignorum Lauro Virorum explorator, cernens te in omni ſcientiarum variarumq; lingvarum genere, optime cultum, & exſeriorib us ac luculentis doctrinæ ac Poeſeos monumentis eum te eſſe conſpiciens, qvem (ut verbis ejus ad me in mandato exaratis utar) ex Parnaſſo ipſe Præſes Apollo, cum toto Pieridum choro, Charitesq; egregiè omnibus commendant, honeſtiſſimis tuis votis morem lubens gerens, Lauream tibi ſempiternæ famæ notam præbere Vordæ decrevit. Verum cum ſibi non integrum fuiſſe cenſuiſſet, nec loci incommoditatem permiſſuram advertiſſet, ut nempe in publico conventu, & cum qvadam ſolennitate, ore & manu ejus conferatur, qvod tua præſens ipſi Virtus, privatis ac anguſtis parietibus circumſcribi neſcia, promereri viſa eſt, non duxit deſpicatui, imò promovit præſtantiſſimos tuos conatus, juribus-

ribusque ipsis, *ut id quod quis per alium facit, ipse fecisse videatur*, sancientibus Celeberrimus JCtus innixus, concessam sibi à Prædictâ illa sacra ac qvondam Augustissimâ Majestate Cæsareâ FERDINANDO II. glorioſæ ac æternæ recordationis, facultatem in me, substituendo derivari voluit, & ut vigore specialis mandati & plenipotentiæ, ejus jure utar expetiit & mandavit. Qvod jam (qvod felix faustumq; sit) facio Tibique DN. M. STEPHANE FUHRMAN &c. in nomine Sacrosanctæ & Individuæ Trinitatis, auctoritate Sacræ Cæsareæ Majestatis, in hoc publico Virorum Clarissimorum Præstantissimorum, Juvenum Nobilissimorum ac Selectissimorum, aliorumque Spectatorum, Consessu ac confluxu, Tibi, inqvam, vel tuæ ingenioſæ fronti Lauream impono, aureum annulum dextræ tuæ immitto, & publicè in Poetam Laureatum creo, pronuncio, proclamo. Laureæq; Poeticæ titulos & insignia tibi confero, distribuens tibi potestatem, ut in toto Romano Imperio, ubicunque locorum & terrarum Actus Poeticos in ea Arte, scilicet scribendi, legendi, commentandi, disputandi, interpretandi exerceas, omnibusque Ornamentis, Insignibus, Privilegiis, Prærogativis, Exemptionibus, Libertatibus, concessionibus Honoribus, Præeminentiis, Favoribus, Indultis & Gratiis, ac aliis qvibuscunque

cunque qvibus cæteri Poetæ Laureati, in qvolibet alio publico & privilegiato Gymnasio &c. promoti, vel etiam à Divis Romanorum Imperatoribus ac Regibus insigniti, utuntur & fruuntur, de jure fruaris & gaudeas. Et ad extremum, in contravenientes mulctam Cæsareâ sanctione præfinitam severè denuncio.

Habes jam Laurum Clarissimè D M. Fuhrman, nec, juxta meum bonorumque omnium Votum, absque causa.

Laurum non tangunt horrenda tonitrua cæli,
Sed Jovis à fremitu loca qualibet integra servat.

Nec tuâ Supremi rerum Arbitri auspicio Virtutem ac Eruditionem ullum Livoris edacis tonitru lædet. Consistes firmiter adinstar Lauri adversus ejus ictus, & gaudens communem tibi esse cum illis sortem, qvi talia fulgetra flocci pendentes, famam suam fremente livore ad posteros transmittunt, candore munitus Epinicia livori occines, & avertentia sacra viventi in opprobrium seculorum Momo facies.

Laurus habet virides æternæ frondis honores,
Perpetuumque suis floret virguncula ramis.

Sic tibi Dei cœli protectione prolixum & virens ævum ingenii simulacra conciliabunt. Virebis

nobiliſſima ſui parte ac virtutis eruditionis monumentis te ipſum à mortalitate vindicabis, cernensq; abjectas alias plebeiasq; plantas, nimiò livoris, calumniæ æſtu marceſcentes, velut *Laurus* ſupra vulgus aliorum arborum erecta in omni fortuna virebis, imò ab ipſo livore Virtute compactus, florem viridiſſimum ſumes, qvaſiq; *Laurus* qvo intenſiora tonitrua fulminaque ingruent, eo viridior ſubſiſtes, ac radice conſtantiæ profundâ actâ, Eccleſiam, Patriam, Orbemque literarium robuſtius comprehendes. Habes jam triumphalem *Laurum*, qvam cum intentiſſimis oculis ſelectiſſima hæcce Auditorum & Spectatorum Corona intuetur, hiſce te verbis alloqvitur. O bene ſudati labores tui! ô induſtriæ ac diligentiæ fugientis acta, ſtabili præmiorum magnitudine, ac *Lauro* duplici fortunatiſſima. Ubi nunc illæ tuæ graviſſimæ curæ? ubi vigiliæ? ubi Invidia? ubi incommodorum omnium perpeſſio? Hæc una cum præcipiti temporis curſu fluxere: horum nihil inde ſiſtit præter mercedem perpetuam, præter publicam Gloriam æternam *Laboris* literarii filiam, memoriâ comite ad continuum augmentum ſvaviſſimæ Voluptatis. Ad extremum animitus tibi vovet, ut hancce lauream ad ſeram ipſiſque nepotibus nondum notam diem portes,

portes, & hâc hodie cum tanta festivitate exornatus, vivàs in continuam ac devotam Nominis Divini celebritatem, in Ecclesiæ honorem, in Reipublicæ literariæ decus, in patriæ tuæ dulcis ornamentum ac lætitiam, in tuum deniquè & aliorum emolumentum. Quo jam ardenti communique voto hunccce solennem actum, tuamque præclaram coronationem (LAUREÆ tuæ, tam Doctorali hoc ipso ante octiduum die, quam POETICÆ hac horâ sumptæ, meo & omnium corde congratulando) obsigno.

SOLI DEO GLORIA.





cunque qvibus cæt … ati, in qvoli-
bet alio publico & … ymnasio &c.
promoti, vel etiam … orum Impe-
ratoribus ac Regibu … tur & fruun-
tur, de jure fruaris & … d extremum,
in contravenientes … eâ sanctione
præfinitam severè d…

Habes jam Lau… D M. Fuhr-
man, nec, juxta meu… e omnium
Votum, absque caus…

Laurum non tangu… itrua cœli.
Sed Jovis à fremit… ntegra servat.

Nec tuâ Supremi re… spicio Virtu-
tem ac Eruditionem … edacis toni-
tru lædet. Consiste… tar Lauri ad-
versus ejus ictus, & … munem tibi
esse cum illis sorten… getra flocci
pendentes, famam su… vore ad po-
steros transmittunt, … us Epinicia
livori occines, & aver… venti in op-
probrium seculorum …

Laurus habet viride… honores,
Perpetuumque suis … s ramis.

Sic tibi Dei cœli prot… m & virens
ævum ingenii simulac… t. Virebis
nobi-

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.
Patch Reference numbers on UTT
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730436616/phys_0301
DFG